This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LS
39
233

Sx 37,233

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 9 May, 1902.

STUDIA STATIANA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

WALTER HÄRTEL

DRESDENSIS.

LIPSIAE.

TYPIS EXPRESSIT OSWALD SCHMIDT.

MDCCCC.

Se 39.233

HARVARD COLLEGE
MAY 9 1902
LIBRARY.

Constantius fund.

OTTONIS RIBBECKII

MANIBUS

SACRUM.

Tabula argumenti.

I. Utrum priores tres libri Silvarum eodem fere tempore sint editi necne . . . . . p. 6 sq.
II. De repulsa Capitolina et de Statii in patriam reditu . . p. 8 sq.
III. De Statio poeta . . . . . p. 17 sq.
IV. De Silv. IV, 7 . . . . . p. 37 sq.
V. Appendix . . . . . p. 40 sq.

Index locorum tractatorum.

Silv.
I, 1, 36 . . . . . p. 42
I, 3 (57/58) . . . . p. 43 sq.
II, 2 . . . . . p. 44 sq.
II, 2, 35 . . . . . p. 45
III, 2, 131 sq. . . . . p. 20
III, 5, 28 . . . . . p. 40
III, 5, 31 sq. . . . . p. 8
III, 5, 46 sq. . . . . p. 23 sq.
III, 5, 64 . . . . . p. 45 sq.
Praef. IV, l. 2 . . . . p. 6 sq.
Praef. IV, l. 31 sq. . . p. 46 sq.
IV, 2, 62 sq. . . . . p. 11 sq.
IV, 2, 65 sq. . . . . p. 41
IV, 7, 2 . . . . . p. 38
IV, 7, 17 sq. . . . . p. 38 sq.
V, 3 . . . . . p. 47 sq.
V, 3, 215 sq. . . . . p. 40 sq.
V, 3, 233 sq. . . . . p. 48

I.

Utrum priores tres Silvarum libri eodem fere tempore editi sint necne.

Cum dissideam a Vollmero editore nupero[1]), qui aliter ac ceteri[2]) sentit de tempore priorum trium librorum Silvarum, denuo mihi de hac re est disserendum.

Non est dubium, quin ille vir doctus (p. 11) non minus recte contendat ex ea re, quod Statius Praef. I. l. 8 silvas suas esse praelusiones Thebaidos vult, solum id sequi minora carmina partim ante maius conscripta, non eadem ante emissa esse, quam merito Statium arbitretur, postquam Thebais omnium assensu comprobata est, edere Silvas quoque constituisse. Minus tamen probari potest, quod statim quasi assilit ad id quod demonstraturus est, quasi cadit abrupte in sententiam, cum perhibet haec: was denn zunächst mit Buch I—III geschah. Neque enim ulla re plus concludere cogimur quam solum primum librum illa aetate esse editum, post Rutilii Gallici mortem, i. e. c. a. 91/92.[3]) Quod enim Silv. III, 2, 40 et 142 Thebais[4]) nondum perfecta commemoratur,

---

[1]) P. Pap. Statii Silvarum Libri herausgegeben und erklärt von Friedrich Vollmer. Leipzig 1897. Teubn.

[2]) cf. H. Nohl. Quaest. Stat. Diss. Berolini 1871. p. 23. et P. Kerckhoff. Duae Quaest. Pap. Diss. Berolini 1884. p. 24.

[3]) cf. Vollmer p. 10. et Kerckhoff p. 10 l. l.

[4]) Hoc loco breviter de tempore Thebaidis editae loquar. Mea quidem sententia haud dubie, ut Vollmer p. 10 vult, ex verbis Praef. I. l. 5 colligendum est tempore primi libri emissi Thebaidem iam esse editam. Cum autem in hoc carmine epico pangendo duodecim annos se consumpsisse ipse dicat Theb. XII, 811, suspicari licet id incohatum c. a. 79/80, qua etiam aetate pater erat in vita ita, ut illa verba Silv. V, 3, 223 sq. stent. Thebaide autem edita Statium opinor studiose praeparasse alterum epicum carmen, Achilleidem, quam utrum Romae an Neapoli coeperit conscribere, non iam potest diiudicari.

ex hac re id solum efficitur illud ipsum carmen iam ante perfectum epicum opus esse contextum.

Deinde non magis mea quidem sententia ex ordine [1]) singularum eclogarum priorum trium librorum quam ex horum librorum versuum eodem fere numero [1]) quicquam potest concludi.

Denique [1]) quod Statius in priorum trium librorum praefationibus semper ab eis qui eclogas legent petit, ut indulgeant libellis suis celeriter factis, in IV. libri praefatione non solum de hac re nulla verba facit, sed etiam eos qui Silvas reprehenderunt, fiducia quadam sui reicit, ne hoc quidem argumento, quod gravissimum esse Vollmer autumat quaestio profligatur. Videamus enim Statii ipsa verba.

Praef. I. poeta uberius loquitur sese celeriter eclogas conscripsisse, ut remissiorem stilum amici condonarent celeritati ac veniam darent. Iam pauca verba faciens de hac re praef. II. finem facit, cum assentatiuncula quadam lepida Atedium Meliorem sic alloquitur: ‚Haec qualiacumque sunt, Melior carrissime, si tibi non displicuerint, a te publicum accipiant, si minus, ad me revertantur'. In praef. III. iam omnino non in universum eos qui eclogas legent, adit, sed ‚securum' tertium librum Silvarum ad Pollium qui Statium nec non Silvas cognovit, mittit. Praef. autem IV., in qua adversariorum vituperationem repellit, his verbis perorat [2]): ‚Hunc tamen librum tu, Marcelle, defendes; si minus reprehendemur'. — Ita singulis sequentibus praefationibus minus necesse putat poeta se veniam petere, in IV., cum vituperatores non taceant, eis dat planum responsum.

Quare meo quidem arbitrio ex praefationum illarum condicione non minus bene concludi potest libros alium post alium, non eodem fere tempore esse editos. — Vero Vollmer cum poetam ipsum arbitratur (p. 12_4) complecti libros I—III quasi ut unum opus scribentem praef. IV. l. 2 haec verba: ‚Reor equidem aliter quam invocato numine maximi imperatoris nullum opusculum meum coepisse, etc.', admodum errare mihi videtur. Id autem ab initio dicam verbis illis, quippe quae

---

[1]) cf. Vollmer, p. 12 et 383. [2]) cf. Appendicem p. 46 sq.

a nobis quidem non iam possint plane intellegi, nullo modo esse nitendum. Nam quod — perse sane recte — ille vir doctus Statii verba cadere perhibet solum in Silv. librum I., Thebaidem, Achilleidem, nonne satis esset mirum, quod poeta illa epica opera magna nomine opusculi significasset, quo dicit praeterea Silv. eclogas aliquas in praef. II, 3 et aliud carmen in praef. IV, 22? Deinde nonne revera sola in Thebaide (I, 22 sq.) et Achilleide (I, 14 sq.) imperatorem Statius invocavit, cum in Silvis non disertis verbis illum invocaret sed tantummodo carmina, quibus eum celebrat, ante ceteras poneret?

Sed licet Statium revera ita non satis clare esse usum illis vocibus: ‚opusculum' et ‚invocare' arbitremur, intellegemus non utique necesse esse nos ad Vollmeri sententiam pervenire, qui illo loco priores tres libros quasi unum opusculum dici opinatur ita, ut ex hac quoque re sit efficiendum eos eodem fere tempore esse emissos, — si paullo aliter atque ille videtur, illud enuntiatum interpretabimur.

Num utique fieri non potest, quin verba significent, ut nostra lingua utar: Ich habe doch, denke ich, ohne Anrufung . . .? Nonne fortasse eorum sensus hic est[1]?: Ich habe doch, denke ich, keines meiner Werke anders als mit dem Kaiser begonnen, wenn ich diesen angerufen hatte; ich habe immer, wenn ich bei einer Sammlung ein Gedicht auf den Kaiser hatte, dieses an die Spitze gestellt; in diesem 4. Buche habe ich nun 3 Kaisergedichte, mit denen ich also anfange. — Bene autem Vollmer (p. 144) lacuna merito statuta e. g. supplet ea, quae illo loco praef. IV. ineuntis intercidisse videntur. Ita res esse sublatas spero quae dubitationem afferre potuerunt nobis existimantibus priores tres Silvarum libros deinceps intervallis quibusdam ab anno 91/92 usque ad 94 esse editos.

---

[1]) Fortasse ante ‚invocato numine' supplendum est ‚ab', quod post ‚quam' facile interire potuit.

II.

De repulsa Capitolina et de Statii in patriam reditu.

Kerckhoff (l. l. p. 30) in Capitolino agone Statium cecidisse anno 94 et ob eam imprimis causam Roma egressum esse pronuntiavit, quam sententiam Schanz [1]) et Ribbeck [2]) acceperunt. Id autem quod poeta carmine anni 94 III, 5, 31 primum illius cladis mentionem facit, per se non multum valere ille concessit. Quid, quod Statius in illa ecloga victorias Albanas [3]) quoque primum commemorat? ‚Neque vero omnino credibile esse Statium, si iam anno 86 aut 90 cecidisset in commissione, quadriennium vel diutius Romae mansurum fuisse, irrisum acerbis facetiis malevolorum, quorum invidia neutiquam careret'. ‚Immo verisimillimum videri, ut Florum, sic Statium urbe exire cupivisse'.

Cum Kerckhoffio plane faciens et eius sententiam novis argumentis quasi fulciam et ea quae Vollmer (p. 19_{11}) contra dicit, refellam.

Id quod iam Kerckhoff docuit, prorsus certum [4]) est Statium cladem in Capitolino agone acceptam molestissime ac gravissime tulisse. Satis enim dilucide quae sentiat enuntiat poeta III, 31 sq. hoc modo:

‚tu, cum Capitolia nostrae
infitiata lyrae, saevum ingratumque dolebas
mecum victa Jovem;'

Quanquam autem Vollmer (p. 431) recte contendit vocabulis ‚saevum ingratumque Jovem' Statium dixisse ipsum Jovem qui ingratus est, quod poetam non corona affecit gratiam ei non referens pro carmine se celebrante, non imperatorem — futurum enim fuisse, ut nemo non in ultimum discrimen adduceretur, si tali modo disertis verbis imperatorem ipsum alloqui ausus esset, per se patet —, tamen ex illis verbis per ambages, ut ita dicam, indignationem in tyrannum quandam,

[1]) ‚R. L. G.' II. p. 311.
[2]) ‚G. d. R. D.' III. p. 243.
[3]) cf. Appendicem, p. 40 sq.
[4]) Falso iudicat Nohl l. l. p. 18 hac de re.

cui saepius nomen Jovis[1]) dat, subaudiri Statium non noluisse mihi persuasi. Quid, quod postea ne Vollmer quidem in adnotatione V, 3, 233 Silv. (p. 543) poetam quamvis caute utroque loco significare Domitianum negavit? Quam indignitatem cum videamus, nobis fingere possumus, quo animo fuerit Statius, cui tyrannus in illo agone non faverat, scribens in carmine ad Abascantum misso (V, 1) v. 143 sq. haec:

‚Nil maestum, quid enim, quamvis infida levisque
Caesare tam dextro posset Fortuna timeri?‘

Quare etsi propterea, quod saepius Albae illum vicisse credere possumus, non sine ulla dubitatione[2]) ex III, 5, 31 et V, 3, 231 sq. efficitur repulsam Capitolinam post victorias Albanas fuisse, tamen mea quidem sententia non est dubium, quin Statius post illam cladem, quam tanto opere indignabatur, iterum libidini tyranni sese non obtulerit.

Vollmero tamen Statium a. d. XIV. Kal. April. a. 90 Albae esse adeptum victoriam existimanti verisimile videtur (p. 19) poetam praemium Capitolinae commissionis assequi esse conatum, cum statim post Albanam victoriam in illum agonem prodiret. Ac primum quidem id confestim contra dicam mihi quidem vel per se non satis verisimile videri Statium, quippe qui illis temporibus praeterea operam daret Thebaidi perficiendae, eodem anno bis in agones procedere ausum esse, mensibus Martio atque Junio[3]), praesertim cum agon et maior et gravior sequeretur. Quod autem Vollmer p. 19_{11} pergit hoc modo: Anzunehmen, die repulsa sei im Jahre 94 erfolgt und St. habe ihretwegen wie Florus Rom verlassen, haben wir gar keinen Grund. Schwerlich würde St., nachdem er 94 so demonstrativ sein Gekränktsein bezeugt, im folgenden Jahre drei Gedichte zur Verherrlichung des Kaisers verfasst haben, quanquam ea re primo obtutu dubitatio nobis moveri videtur, tamen, si accuratius inspexerimus, illius sententiam iacere intellegemus. Cum enim Silv.

---

[1]) cf. Ruediger. Quibuscum viris fuerit Statio poetae usus consuetudo familiaritas. Diss. Marburg. 1887. p. 6.

[2]) cf. Vollmer p. 19_{11}.

[3]) cf. Friedlaender. ‚Sittengesch. Roms‘ II^5, 437_8.

IV, 1 pertineat ad Kal. Jan. a. 95, IV, 3 confectum anno 95, IV, 2 exortum sit inter annum 93 et aestatem a. 95, IV, 2, quo Statius gratias agit imperatori, qui ipsum ad cenam vocavit, primum fuisse illorum carminum haud dubie suspicari nobis licet, ita ut ex ea re, quod denuo a Domitiano honore erat affectus, id explanetur, quod, quanquam inclementiam tyranni in Capitolino agone acceptam graviter ferebat, denuo eclogis imperatorem celebravit. — Neque enim sententiam Grossii [1]), Imhofii [2]), Kerckhoffii (l. l. p. 17), qui Statium IV, 2, 62 post cladem Capitolinam scribere non potuisse contendunt, cum Nohlio (l. l. p. 18 sq.) et Vollmero (p. 8_6) ut futtilem probo. —

Et potest demonstrari, quo fere tempore IV, 2 contextum sit, hoc modo. Cum poeta, ut infra [3]) videbimus, in patriam vere ferme anni 95 transmigraverit, deinde cum Silv. III, 5 nimis diu ante reditum scriptum esse non possit, nobis putandum est III, 5 esse factum et librum III. Silv. emissum summum iam autumno a. 94.

Quodsi iam tum, cum in eo esset, ut librum III. ederet, IV, 2 perfecisset, facere non potuit, quin id illi libro insereret; non igitur est dubium quin, IV, 2 sit confectum autumno vel hieme anni 94, id quod verisimilius est. —

Vel has res cogitantibus certe nimirum veri admodum simile nobis videri puto Statium occubuisse in Capitolino agone anno 94.

Quomodo rem sese habere, ut nobis magis persuadeamus, denique respiciamus haec: Num tandem Statium, qui etiam aestate [4]) a. 90 vel ineunte illo anno ab imperatore summo illo honore equi maximi praedicandi est affectus, iam mense Junio eiusdem anni Domitiano in odium venisse existimari potest? Deinde num, si iam anno 90 cladem accepisset, poetam, quem tam moleste repulsam tulisse scimus, post illam cladem etiam tyranni favorem petere conaturum fuisse nobis

---

[1]) Observatorum in Statii Silvis specimen. Diss. Berolini 1861. p. 9.

[2]) Pap. Statii Eclog. ad uxorem. Programm. Halle 1863. p. 17.

[3]) cf. p. 15.

[4]) cf. Appendicem p. 41 sq.

fingere possumus? At revera in circo imperatori Silv. II, 5 tradidit, eum laudibus extulit e. g. in III, 4, summa veneratione in Thebaidis prooemio prosecutus est quod illi edendae addiderat.

Quae argumenta collata atque coniuncta satis gravia certaque censeo, ita ut cum causa Statium anno 94 in agone Capitolino cecidisse arbitremur, ut vel per se multo verisimilius est eum, qua aetate Thebais edita laudabatur, ipsum fretum ingenio suo in illum maiorem agonem procedere ausum esse.

Inde rectius locum quendam Silvarum intellegemus, dico v. IV, 2, 62 sq., quos nemo adhuc satis recte, opinor, interpretatus est. — Hac autem in re tractanda nobis altius repetita oratione est utendum. —

Verba Statii sunt haec IV, 2, 63 sq.:

> ‚Qua mihi felices epulas mensaeque dedisti
> sacra tuae, talis longo post tempore venit
> lux mihi, Troianae qualis sub collibus Albae'.

Quae liberius versa nostra lingua significant haec fere: Durch die Einladung zur kaiserlichen Tafel ist mir nach langer Zeit erst wieder eine solche Gnade zu teil geworden, wie sie mir damals bei meinem Auftreten in Alba erwiesen wurde. — Sese longo post tempore tunc demum denuo tali gratia quali Albae affectum ille pronuntiat. Illis autem ex vocabulis ‚longo post tempore' neminem esse, quin submissam tectamque vituperationem quándam subaudiat, pro certo habeo, — id quod Vollmer ipse quoque (p. 450) recte animadvertit. Sed cum hic vir doctus hac in re conquiescat, nos quaerere necesse est, quomodo sit intellegenda illa vituperatio submissa. Ac primum quidem vel in universum admodum miramur, quod Statius omnino aliquid quamvis tecta oratione tyranno dare audet crimini. Quo autem sermone imperatorem allòquatur, de hac re accuratius non agam; satis est ipsum carmen IV, 2 dicere, quod tali sermone est scriptum, qualem in aliis quoque Statii eclogis ad tyrannum missis invenimus, ita ut maxime miremur, qua fuerit poeta audacia condens

ultimos illos versus, quam nullo loco nisi illis, quibus repulsam Capitolinam commemorat, vidimus.

Iam poetae ipsa verba perscrutemur.

Quod se tunc demum longo post tempore denuo ab imperatore gratia esse affectum queritur, Statio scimus illum Albae, ubi eum a. 90 postremum in agonem prodisse verisimile est, favisse, revera de nulla alia tali gratia Domitiani certiores sumus facti.

Sed quod poeta exeunte anno 94, quo fere tempore ad cenam vocatus erat, pro qua re gratias agens imperatori IV, 2 mittit, longo post tempore denuo tunc demum talis clementiae tyranni se esse factum participem dicit, num tandem fieri potuit, ut Statius, ut erat cautus, in carmine, quo ipsum Domitianum celebrabat, ei opprobrio id solum vertere auderet, quod sibi diu nullum talem honorem habuisset, quamvis modestis verbis. Ceteroquin nonne poeta fuisset non minus inurbanus quam audax, si imperatori in ecloga qua ei gratias agit id solum diserte dicere voluisset sibi hanc clementiam longo post tempore demum venire?

Ad meum quidem sensum et iudicium talis vituperatio, quali caute illis tectis verbis Domitianum afficit, fieri non potuit, nisi ei non solum nulla talis clementia, sed ipsa inclementia tyranni obtigerat, nisi contrarium acceperat, nisi id ipsum Statius significare voluit. — Atque ita verba sua intellegi sese velle poeta, ut videbimus, ipse satis perspicue ac dilucide nos docuit. —

Iam alia via ingrediamur, ut diiudicemus quaestionem. Iam id quaeramus, quomodo vel ubi prius talis lucis, qualis Albae, particeps fieri potuerit. — Etsi haud dubie talis lux ei prius venire potuit singulari ipsa imperatoris clementia, quali affecit eum ad cenam vocans, tamen quod Statius verbis, quibus ipsum tyrannum alloquitur, sibi longo post tempore tunc talem lucem venisse conqueritur, non potuisse fieri, ut audacter atque inurbane verba ita intellegi vellet, ut eam rem quereretur, quod Domitianus se non prius ad cenam vocasset vel sibi non prius singularem honorem tribuisset,

per se, puto, manifestum est. At quomodo tandem intellegenda sunt illa verba?

Non est dubium, quin Statius praeterea in Capitolino quoque agone, in quo ipse tyranno dare poterat facultatem, tali honore affici potuerit, quali Albae, ubi iam non in commissionem processit, ita ut de hoc agone nobis non sit cogitandum.

Illam autem in commissionem revera poetam prodisse et imperatori dedisse facultatem talis clementiae tribuendae atque ibi Domitiani inclementia cecidisse scimus. — Vultne fortasse Statius ipse ita verba illa intellegi, ut de Capitolino agone cogitemus — ita ut iure ac merito supra nos esse suspicatos illum sic dixisse, non quod ei nulla talis clementia, sed quod inclementia tyranni obtigerat, videamus? Revera illam tectam vituperationem spectare ad repulsam Capitolinam, id quod ratiocinatione quadam adhibita sumus opinati, sese velle significare illam cladem Statius ipse satis, reor, explanat atque, ut ita dicam, illustrat ea re, quod ante illos versus ponit (v. 62) haec verba:

‚Saepe coronatis iteres quinquennia lustris!‘

Ego autem Statium occasione data consulto addidisse illum versum (62) iudico eo consilio, ut Capitolino agone commemorato sequentibus versibus — qui cur non satis bene ad finem esse accomodata videantur, mea quidem sententia Vollmer (p. 450) falso explicat, — satis dilucide perstringere posset imperatorem illis tectis verbis. Neque est dubium, quin aequalium ei qui versus 62 sq. legebant, accurate de Statio certiores facti statim, quid ille dicere vellet, plane intellexerint. — Ita, ut iam obiter Barth opinatus est, pronuntio Statii illa verba, quae cuiusdam opprobrii submissi esse plena vidimus, revocanda ad Domitiani illam inclementiam, ad repulsam Capitolinam, quam fuisse anno 94 diximus. Quo exeunte anno erat etiam memoria cladis recens, ut Statii vituperationem intellegamus. Sed si iam anno 90 occubuisset, ut iterum ad Vollmeri sententiam revertamur, nonne omnino nimis longo temporis spatio interposito id imperatori exeunte anno 94 crimini dedisset?

Quid? num omnino poeta, si iam anno 90 cecidisset, exeunte anno 94 tyrannum vituperare audere potuit aut habuit, quod illum quamvis leviter perstringeret propter illam repulsam dicens sibi longum tempus talem lucem non venisse? — Si anno 90, non 94 in agonem prodiisset, nonne fortasse per eum ipsum stetisset, quominus longum tempus nulla talis lux veniret — ita ut, quoniam paulo ante, aestate a. 94, Domitiani clementiam talem petere conari potuisset, haud dubie exeunte eo anno talibus verbis tyrannum ipsum alloqui ausus non esset? Nonne, si a. 90 in commissionem processisset, exeunte a. 94 revera illis verbis id solum conquereretur, quod Domitianus se non prius vocasset ad cenam aut singulari affecisset honore — id quod fieri potuisse iam supra negavimus. Contra postquam proximum in agonem Capitolinum, i. e. mense Junio a. 94 prodiit, ita ut daret imperatori facultatem ‚talis lucis qualis Albae' tribuendae, potuit fieri, ut Statius illo exeunte anno sibi longum tempus talem honorem non esse habitum queri auderet, ut per ambages tyranni inclementiam, repulsam illam, significaret.

Ita nostrae sententiae succrescere videmus confirmationem quandam ex illis versibus. Nam vel propterea, quod Statius exeunte a. 94 illa tecta vituperatione imperatorem afficit, multo verisimilius concedas, credo, eum repulsam Capitolinam accepisse a. 94, id quod iam supra me demonstrasse spero. —

Iam pergamus.

Statio tantus dolor ea re quod ‚speratus honos fugerat' in agone Capitolino, allatus erat, ut eum ne eis temporibus quidem, quibus Domitianus ei denuo faverat, cum ad cenam vocaverat, i. e. hieme fere anni 94, vincere posset, neque, etsi imperatori gratias egit illa ecloga IV, 2 [1]) et praeterea eum denuo celebravit carminibus IV, 1 [1]) et 3, tamen novo tyranni favore adduceretur, ut consilio Neapolim redeundi desisteret. Statium enim Romae pertaesum esse non solam propter eam rem, quod gravi morbo erat oppressus, perspicue potest subaudiri ex illo optime disposito ac perfecto carmine

---

[1]) Tenendum est haec tria carmina Romae contexta esse cf. p. 15.

Silv. III, 5, in quo ardentissime patriam suam celebrat. Quo toto carmine, quo uxorem, quae fortasse Romam caram habebat, alloquitur, ut se Neapolim comitetur, mihi poeta omnino valedicere videtur amicis Romanis, urbi ipsi, cui Neapolim patriam suam praeponat. Similes autem animi sensus, similem indignationem expressam videmus Silv. IV, 5, quod carmen vere anni 95 contextum est. Neque enim equidem possum cum Vollmero consentire, qui p. 384 iudicat illam insectationem v. 48 illius eclogae esse non obliquam; nihil Statium efficere velle nisi id, ut amicum augeat. Quod enim vir doctus affirmat omnino non esse Statium tali ingenio moribusque, ut vitia aequalium vituperet, sane in universum non est dubium, quin non sit poeta satiricus, sed illo acerbo verbo similem indignationem exprimi certum mihi quidem videtur.

Neque autem minus, quo fere tempore Statius Roma sit egressus, paullo accuratius dicere possumus. — Cum illum aestate a. 95 iam Neapoli versari plane ex IV, 4 Silv. (cf. Vollmer p. 18) efficiatur, deinde cum idcirco quod poeta IV, 3, 1 sq. (cf. Vollmer p. 451 sq.) aliquem interrogantem fingit, qui Roma Neapolim iter faciat, verisimillimum sit id carmen, quod ante aestatem a. 95 esse scriptum pro certo habemus, iam Romae esse confectum, nobis suspicari licet Statium vere ferme in patriam redisse. —

Quoniam de hac re dixi, iam nonnulla verba faciam de carmine IV, 4 Silv.. ex quo optime intellegere possimus, quo animi sensu fuerit tum Statius.

Poeta, postquam urbe exiit, carissima in patria iterum versatur et hinc Romam in urbem ‚clamosam', ubi ‚Latiae leges miscent iurgia', illam egregie confectam epistulam poeticam, in qua ea quae sentit prae se fert, mittit ad Vitorium Marcellum amicum.

Ex intimo suo, quem, ut Gallum amicum, sui non immemorem esse poeta vel ex ea re cognoscit, quod ‚inde sonus geminas ei circuit aures' (v. 26), quaerit, quo aestivi secessus causa, quibus temporibus Romae nimis calescat, proficisci in animo habeat. Ipse autem, quanquam Neapoli est, quo reverti desiderio erat coactus, tamen quanto vulnere sit affectus

repulsa illa Capitolina, satis clare ex tota ecloga[1]) intellegimus. Praeterea morbo illo gravi, quo Romae erat oppressus, non satis liberatus esse videtur. Nos autem, qui hunc Statii dolorem illius cladis et morbum eius videamus, possumus nobis fingere, quomodo sit factum, ut poeta sese, ‚vergi in senium' (v. 70) quereretur, immo vero etiam, ut eum paene paeniteret poetici ingenii ac facultatis suae, ita ut amicum, cui imperator maxime faveret, virum validum, aetate florentem, fortem qui ‚egregius formaque animisque' (v. 8) ‚ipse canenda gereret' (v. 71), celebraret atque praedicaret multis verbis, ex quibus paene subaudiri posse censeam non solum admirationem, sed etiam submissam quandam invidiam. —

Nimirum tamen musis fidem Statius servavit summo studio atque assiduitate operam navans Achilleidi conficiendae suae.

Quod autem imperatoris facta nondum celebrat, quae praedicare fortasse — dico fortasse — aliquando erat iussus, optime se excusat illis maxime egregiis versibus 95 sq., quibus dissimulationem quandam atque irrissionem tectam esse opinor. Dubitat autem Statius, num tanto operi sit par, utrum ‚stent sub illa mole umeri an magno vincatur pondere cervix', num ‚fluctus sueta minores nosse ratis nondum Joniis credenda' sit ‚periclis'. Quibus verbis dissimulare poetam odium quoddam talis carminis nemo est, credo, quin cognoscat.

Occasione data paucis de illo ‚bello Germanico' quod laudatur disseram.

Merito Vollmer (p. 14) negat quemquam iam, postquam Buecheler[2]) illos versus qui laudantur ad Juvenal. IV, 94 interpretatus sit, cum Nohlio (l. l. p. 43 sq.) dubitare, quin illi genuini sint. Quod autem deinde dicit Statium revera coepisse illud magnum de Domitiani factis bellisque carmen epicum ita, ut intellegamus tales versus exstitisse, post mortem poetae eam partem, quae iam perfecta fuerit, ut Achilleidem et libr. V. Silv. ab amicis esse editam et eis versibus esse datum nomen belli Germanici, cum initio illius epici operis actum sit de bellis Chattorum anni 83, ad eius sententiam

---

[1]) cf. Kerckhoff p. 30, qui de hac quoque re optime egit.

[2]) Rhen. Mus. XXXIX p. 283 sq.

accedere equidem non possum. Ac primum quidem vel ille titulus esset admirandus, quoniam haud dubie primum bellum illud Jovis [1]), quod vocatur, bellum illud Capitolinum [2]) a. 69 celebrasset Statius.

Deinde mihi quidem persuasum est omnino non esse necesse ex illis locis Statianis, qui sunt Theb. I, 17—33, Silv. IV, 4, 95 sq., Achill. I, 19 sq., concludi revera ullo tempore poetam cepisse consilium tale carmen epicum, quo imperatoris facta praedicaret, conscribere, quod tulit mos, [3]) ut poetae tale quid promitterent. —

Atque num potest existimari Statium, postquam Achilleidem scribere coepit, revera illud carmen coepisse Neapoli, quo morbo affectus nec non gravissime repulsam Capitolinam ferens sese receperat? —

Etsi quaestio plane diiudicari non potest, tamen equidem arbitror ne inchoavisse quidem illum id opus, ut non sit nobis suspicandum [4]) tale carmen Achilleidi perficiendae fuisse *impedimento* — eo magis quod illos versus traditos optime possumus opinari carminis esse, quod Statius (IV, 2, 66) ipse dicit Albae [5]) in agone sese recitasse de bellis Germanicis, ita ut recte id inscribatur: bellum Germanicum.

III.

De Statio poeta.

De Statii indole atque arte poetica iam multi viri docti optime egerunt, sive obiter sive propriis libris. Veluti Claretie, [6]) vir doctus Franco-Gallus, qui haud dubie multa attulit ad poetam rectius iudicandum, disseruit fusius, ne dicam nimis late, in universum hac de re rationem habens solarum Silvarum; iam antea Kerckhoff (l. l. p. 31 sq.) scripsit egregie de eius facultate extemporali.

Imprimis autem Ribbeck Statium poetam acute ac subtiliter iudicavit et interpretatus est nec non Vollmer passim in editionis adnotationibus. —

---

[1]) cf. Silv. I, 1, 79. [2]) cf. Mart. V, 5, 7.
[3]) cf. Friedlaender l. l. III, 386. [4]) cf. Ribbeck l. l. III, 249.
[5]) cf. Appendicem p. 40 sq. [6]) De Pap. Stat. Silv. Lutet. Paris. 1891.

Quodsi igitur ego hoc capite de Statio poeta me esse facturum verba pronuntio, acquiescam in adumbratione, quasi in lineamentis; non meum erit, singula omnia, quae hac de quaestione sunt dicenda, iterum tractare, sed in universum ea, quae iam a viris doctis sunt explanata, componere ac comprehendere, sub uno aspectu ponere, singula quaedam, quae nondum satis illustrata sunt, accuratius exsequi —, ita ut quasi imago quaedam vera poetae exsistat. —

Ut illius aetatis poetas recte intellegamus ac iudicemus, ex ea re proficiscendum est, quod revera illis temporibus nemo fere non in ludo rhetorico est eruditus et instructus; Leo [1]) optimo iure esse respiciendum perhibuit, ‚quantum in poesin Romanam disciplinae rhetoricae exercitatio valuerit.‘

Itaque semper quaeremus, utrum omnino nomine poetarum sint digni an magis rhetores quam poetas sese praestent.

Ac primum quidem, ut paucis repetam in universum, quibus rebus ille quoque sese praebeat ludi alumnum, tota eius dictio ut ceterorum penitus tincta est rhetorico colore, deinde institutione scholastica immensam doctrinam et scientiam imprimis mythologicarum rerum cum adeptus, tum ostentare assuefactus est, denique didicerat praecepta rhetorica quaedam veluti descriptionum, rhetorica σχήματα quaedam, nec non τόπους quosdam, sententias certas quasdam veluti in consolationibus adhibendas.

Quaeramus universe, quomodo ac quatenus ille sit secutus artem et praecepta, num fundamenta illa, quibus nititur in suum usum convertere sciat, et praecipue, num omnino ipse vere poetico ingenio sit praeditus ac natura propria.

Scilicet de hac re, quod Statius omnino verba rhetoricum in modum facit tota dictione, [2]) cum in hoc a schola paene prorsus pendeat, paucis verbis uti mihi liceat. Ita autem quaestionem instituamus, ut nonnullas tantummodo summas res attingamus et quibusdam exemplis allatis monstremus eam rem, quod quasi imbutus est arte scholastica, item fuisse

---

[1]) Ind. lect. Götting. 1892/93 p. 7 sq.

[2]) cf. veluti Vollm. p. 31(3).

saepius usui nec non attulisse detrimentum poetae orationi ac sermoni atque ceterorum illius aetatis.

E. g. ad scholam referendum est haud dubie illud studium, quo omnino inserit orationes omnis generis homines prima quaque occasione loquentes faciendo.

Etsi nimirum nemo, qui accurate cum Silvas tum Thebaidem perlegit, orationes saepe nimis longas et latas esse nec non superfluas neget, quibus declamationibus lectores defatigentur (ex Silvis tantummodo afferam illa frigida verba Sibyllae ac plena superlationis IV, 3, 124 sq.), tamen vel maxime velim teneas eadem re, quod ille deos vel homines ipsos facit loquentes, praesertim cum sine dubio non raro sollerter in loco inserere eorum verba ac commode componere sciat, narrationem ipsam saepissime vividam quasi fieri et dramaticam paene speciem praebere. Exempla autem adsunt permulta.

Maxime vero in Silvis illud orationum artificium videtur probabile, quo tam saepe argumentis eclogarum non raro simplicibus ac siccis poeta afferat vivacitatem quandam.

Veluti nonne nos sibi attentiores facit ea re, quod in ecloga (I, 1), qua equum illud maximum describit, Curtium ipsum alloquentem inducit (v. 74 sq.) imperatorem, in ea (IV, 3), qua viam Domitianam, ipsum Volturnum (v. 72 sq.)? Nonne hoc, quod II, 3, 23 et 43 sq. Dianae et Panis ipsa verba legimus, III, 4, 32 et 100 sq. ipsa verba Veneris et Earini, nobis res quasi praesentiores videntur? Nonne quod non solum narratur, sed etiam paene agitur, tota expositio, ut ita dicam, efficacior fit? — Similem in modum Statius ipse veluti eos ad quos carmina mittit, alloqui solet, qua re narrationem variet. —

Quid? Ut ludi rhetorici alumnus verbis crebro immodice uti et quasi augere perquam voluit id spectans, ut quam accuratissime loqueretur, quam clarissime singulas res significaret et tanquam pingeret dicendo. — Haud dubie saepenumero veras ille reddit imagines. Veluti non solum Volturnum plane videre, sed etiam ipsum loquentem audire nobis videntur legentes IV, 3, 67 sq. haec:

‚At flavum caput humidumque late
crinem mollibus impeditus ulvis
Volturnus levat ora maximoque
pontis Caesarei reclinus arcu
raucis talia faucibus redundat.‘

Ita non minus audacter quam proprie appellat vinum (merum) Silv. III, 3, 107 et Theb. V, 262 ‚profundum‘. — At sane factum est, ut idem immodico studio rerum accuratissime depingendarum induceretur, ut imagines quasi depravaret. — Sane non minus accurate quam impolite dicit II, 7, 105 sq. Silv. haec:

‚Sic fata est leviterque decidentes
abrasit lacrimas nitente plectro.‘

Quin etiam ad id procedit, ut ineleganter[1]) scribat Silv. II, 1, 172 haec:

‚dilectosque premis visus et frigida lambis
oscula?‘

Quo in versu, quin traditum illud ‚lambis‘, quamvis valde offendas in eo, sit genuinum, non est dubium.[2])

Porro parum eleganter Maecium Celerem proficiscentem alloquitur Statius III, 2, 131 sq. Silv. his verbis:

‚O tum quantus ego aut quanta votiva movebo
plectra lyra, cum me magna cervice ligatum
attolles humeris . . .‘

Tota enim Statii sententia prava ac deformata est. Confuditne fortasse verba Vergilii (Georg. IV, 217)

‚et saepe attollunt humeris (scil. regem apes)‘

cum Ovidii — cuius carmen poeta haud dubie toto in illo propemptico conficiendo habuit ante oculos — (Amor. II, 11, 43 sq.) memoria tenens:

‚Primus ego aspiciam notam de litore puppim
et dicam: nostros advehit illa deos,
excipiamque umeris etc.‘

---

[1]) Melius neque tamen tam vivide similis sententia Silv. III, 3, 20 exprimitur. — [2]) cf. H. Müller (Studia Statiana. Diss. Berolini 1894) p. 9 sq. et Vollm. p. 332.

Occasione data pauca in universum faciam verba de Statio imitante. — Quod apud Petronium (sat. 118) Eumolpus poeta ‚concipere aut edere partum mentem posse nisi ingenti flumine litterarum inundatam' negat, ab illo multos hac in re superatos esse haud dubie potest dici. Nam legit atque cognovit Statius Romanorum et Graecorum opera nec non fortasse Alexandrinorum, ita ut quasi immensa esset eruditione, quam in usum suum praeditus incredibili quadam memoria conferebat. — Quomodo autem ille poetis prioribus utatur atque imitetur, hac de re [1]) recte disseruit Vollmer [2]) (p. 30 sq.). Quae exempla augere quam maxime in ludo rhetorico eum esse assuefactum pronuntiat idem vir doctus (l. l.). — Cum autem sane nonnunquam illo ‚studio variandi et exaggerandi incidat in tumidum genus dicendi et quod subtilitate caret', id quod H. Müller (l. l. p. 6. sq.) demonstravit, alia ex parte saepe lepidissime exempla in suum usum confert ita, ut verba ex suo ingenio plane esse profecta videantur. Cuius rei e. g. dico illos versus perfectissimos V, 1, 122 sq., ubi Priscillam, uxorem Abascanti, comparat cum Apula coniuge fideli — haud dubie Horatii Epod. II, 41 sq. memoria tenens:

‚velut Apula coniunx
agricolae parci vel sole infecta Sabino,
quae videt emeriti iam prospectantibus astris
tempus adesse viri, propere mensasque torosque
instruit exspectatque sonum redeuntis aratri.'

Neque tamen solum Statium dictiones, ut Baehrensii [3]) verbis utar, poeticas a prioribus usurpatas non tanquam servum, sed ut regem atque dominum in proprium usum adhibere, sed etiam sententias atque argumenta ipsa e. g. vel ex Hypsipylae illius exemplo intellegitur. Quod enim aliter ac

---

[1]) cf. Helm (De Pap. Stat. Theb. Pars prior Diss. 1892) p. 12 sq.

[2]) Jure ac merito ceterum Vollm. (p. 256) Ziehenum (Hermes 1896, XXXI, 313 sq.) frustra esse conatum dicit restituere locos quosdam amissorum carminum epicorum ex Statianis.

[3]) Praef. edit. p. XVIII.

Valerius Flaccus[1]) (Argon. II, 107 sq.) narrat poeta noster in Thebaide (V, 49 sq.), qua causa impulsae mulieres illae Lemniae necaverint viros, prorsus Ribbeckio adstipulandum esse mihi videtur haec dicenti (l. l. p. 229): Hier hat Statius zeigen wollen, was er nach dem Vorgänger in eigener Erfindung und Darstellung zu leisten vermöge. —

Institutione rhetorica, ut supra diximus, Statius immensam illam doctrinam ac scientiam, imprimis mythologicarum rerum, quam ingenti lectione nec non in schola ipsa consecutus erat, quam potissimum ostentare et adhibere est assuefactus, ita ut saepissime molestum in modum nostro quidem iudicio summae eruditionis hominem sese praestare pervellet.

E. g. Thebaidis locum quendam afferre mihi liceat, quo mythologicas res congerit et quasi coacervat.

Statius, postquam ‚parte ex alia Cadmi Mavortiam plebem maestam fuisse' narravit (IV, 345 sq.) et ipsum ‚regem (v. 406 sq.) variis terroribus imparem longaevi opem tenebrasque sagaces Tiresiae aegrum consuluisse', facit vatem ‚Lethaea sacra' parantem et infernas umbras elicientem. Quod autem poeta nimirum omnino nimis longus est tota in illa narratione, eum scientiam in medio proponere non nolle videmus ex ea re, quod Phoebeiam Manto, postquam Tiresiam patrem interpellavit et certiorem fecit his verbis (v. 519):

‚Audiris, genitor, vulgusque exsangue propinquat',

accurate referentem inducit quae videat, sedecim versibus (v. 520—535), quanquam vates ‚nondum adventantibus umbris' morae impatiens eo deducitur, ut exclamet (v. 503): ‚Cassusne sacerdos audior?' — ita ut pater ipse vetet (v. 536) eam pergere ne ipse quidem illa ‚vulgata' enumerare desinens.

Doctum autem poetam sese praebet veluti Silv. III, 2, 101 sq.

Enimvero inter carmen epicum, in quo condendo duodecim annos consumpsit, et Silvas, quarum plurimas quam celerrime confecit, discrimen faciemus. — Nam quod conceditur Statium

---

[1]) cf. Moerner (De Pap. Stat. Theb. Quaest. Diss. Regimonti 1890) p. 21 sq.

saepissime quasi haerere in illo apparatu mythologico,[1]) haud dubie nunquam neglegendum est utique eum facere non potuisse, quin ad illas celeriter pangendas eclogas semper in promptu haberet certum quendam apparatum poeticum.[2]) Ut autem identidem repetitionibus quibusdam utitur, verba quaedam et sententias iterat, ita mythologicas res adamat et locutiones identidem adhibet. Quarum experientiam quanquam non est dubium, quin sit assecutus in ludo rhetorico, tamen meo quidem arbitrio hac in re denuo statuendum est poetam illa ipsa ingenti lectione nec non memoria admirabili, quae a viris doctis laudatur, maxime esse adiutum, ita ut ei indicibus quibusdam in ludo factis ipsis, quos eum adhibere Vollmer contendit p. 432, utique fere non esset nitendum.

Ita autem Statium sine mente ac ratione exempla certa quaedam prorsus esse secutum et veri parum mea quidem sententia simile est et potest plane demonstrari nullo loco. — Quin etiam, credo, ex loco quodam, quem in excursu tractare mihi liceat, intellegemus minime illum, ut servum quasi, in exemplis quibusdam rhetoricis inhaerere aut tantummodo decantare, sed haurire potius ex sua notitia et eruditione — ita ut, licet didicerit in universum in schola ipsam rationem, in singulis rebus utatur suo arbitrio et consilio. Eadem opera denuo[3]) videbimus Baehrensii (l. l. p. XVIII) sententiam, qui cum aliis tum illo loco nisus Statium posuisse mera nomina iudicavit, nihilo esse probandam. —

Disseram de Silv. III, 5, 46—49 quos versus Vollmer p. 432 sq. brevius tractat. Locus autem est et difficillimus et summi momenti, ut operae pretium sit denuo accuratius ac latius de eo agere atque sententias virorum doctorum repetere et examinare.

Recte iam Koestlin (Philol. 36 p. 180) de interpretatione Imhofii (ecl. ad ux. p. 21 sq.), qui esse sententiarum conexum hunc contendit: Pene-

---

[1]) In memoriam revoces veluti Silv. II, 2, 36 sq. et cf. Vollm. p. 344. Nec non in talium locorum numero habeam Silv. I, 2, 59 sq., ubi ille licentia ea, quam Vollm. p. 244 statuit, ideo esse usus mihi videtur, ut scientiam suam mythologicam ostenderet.

[2]) cf. Vollm. p. 29 sq. et Kerckhoffii de St. facultate extemporali quaestionem (l. l.)

[3]) cf. Sandstroem (Studia Crit in Pap. Stat. Upsaliae 1877) p. III et Vollm. p. 217.

lope una cum Ulixe bellum et pericula sustinuisset, si is passus esset, Aegiale et Meliboea discidii desiderium ferre non potuerunt, et—quamcunque aliam amore ardentem saevi planctus in furorem dederunt, v. 49 esse nimis in universum dictum dixit: et haud dubie parum poetice esset locutus Statius, si illo universo sensu v. 49 intellegi voluisset. Huc accedit, quod usus pro ‚quamcunque' illius ‚quamquam' ne Statianae quidem poesis generi potest imputari, de qua re iam Sandstroem (l. l. p. IV) dubitavit. Mea quidem sententia non est dubium, quin rem acute tigerit Vollmer cum Gevaertio ‚quam saevi' [1])] esse parenthesin iudicans (‚Jahrb. f. Cl. Phil.' 147. 1893 p. 835.). —

Quam autem heroidem Statius v. 49 significavit? Köstlini sententiam, qui cum Marklando scribit — ‚et cuius saevi ferierunt (!) Maenala planctus' et Atalantem intellegit, recte Waller (Exursus crit. in Stat. Silv. Vratisl. 1885 Diss.) p. 34 refellit. Sed ne ipse quidem sustulit difficultatem, cum pro ‚quamquam' correxit ‚Cressam' — i. e. Ariadnen — vel ‚Phaedram' — eius sororem, ut iam Gronov (Antidiatr. p. 196) Maenada fieri putavit hic esse in Bacchi comitatum et torum recipi: quo sensu de nulla alia quam de Ariadne Statiium posse capi. Mea quidem sententia etiamsi Walleri coniectura neglecta illam esse parenthesin arbitramur, omnino non de Ariadna nobis est cogitandum. Recte enim iam Markland Ariadnen non posse dici iudicavit: factam esse maenada ex eo, quod in torum Bacchi est recepta — et recte addidit: ‚illudit enim vir doctus scil. Gronov addendo ‚et comitatum'. Sane Ariadne, uxor Bacchi, non planctibus maenas facta vel in maenadum numerum est recepta, sive Theseus illam deseruit, sive Liber rapuit. — Quae tandem mulier questa est, quam — quam saevi—fecerunt maenada planctus i. e. quae luctu est facta maenas maritum desiderans? — Sine dubio Vollmer (edit p. 380 sq., 433) optime esse Laodamiam pronuntiavit, cuius nomen ipsum loco nostro, ut Silv. II, 7, 124 non commemoratur, uxorem Protesilai ante Troiae muros mortui, ita ut Marklandum videamus iam merito non dubitasse, quin aliqua esset, cuius maritus ad bellum Troianum erat profectus. — Statius igitur laudibus effert suae uxoris fidem et comparandi causa fideles mulieres dicit: Penelopam, Laodamiam, Aegialam, Diomedis uxorem, *κουρίδιον ποθέουσαν πόσιν*, ut Homerus Il. V, 414 ait. Nam prorsus facio cum Skutschio (Jahrb. f. Cl. Phil. 147 p. 834) merito refellente sententiam Herm. XXV. p. 88 prolatam a Knaackio, qui falso in Aegialae et Meliboeae nominibus esse cogitandum dixit de Thesei amatis mulieribus — Aegle et Meliboea. — Iam breviter disputemus de illa Meliboea. Statium non cogitasse de Thesei muliere optime ut dixi Skutsch demonstravit. Illam autem Meliboeam Ephesiam, de qua solus Servius adnotans ad Aen. I, 720 narrat, Alexidis puellam, non esse cogitandum equidem arbitror in illo ordine mulierum, quarum

[1]) Sic Klotz quoque, novissimus editor (P. Pap. Stati Silvae, Krohni copiis usus edidit A. Klotz, Lipsiae. Teubn. 1900).

mariti in bello Troiano sunt versati. Talem enim Statium dicere voluisse mulierem mihi persuasi. Utrum autem ille uxorem, de qua nil scimus, Philoctetae, cuius oppidum erat Meliboea, per errorem dixerit Meliboeam, an alio errore seductus nomen Meliboeae illi mulierum ordini inseruerit, non iam potest diiudicari. — Ex loco nostro id quidem certo mihi videtur effici Statium non ita plane pendere ex rhetoricis quibusdam praeceptis. Nam quod Vollmer p. 432. pronuntiat haec: Hier folgt St. offenbar einer solchen Liste, die Frauen von Helden aus dem Troianischen Kriege aufzählte, nos non posse plane in eius partes accedere equidem credo. Nam num tandem est existimandum in tali indice scholastico fuisse Meliboeam quoque? vel si illud nomen ex ea re declaratur, quod Statius id confudit cum oppido illo Philoctetae, num possumus putare omnino ullo modo ibi fuisse commemoratum Philoctetam, de cuius uxore nil sciamus? Quod porro pertinet ad Aegialen, de cuius fide nullus alius poeta narrat, eam ipso ex Homero cognovisse ingenti illa qua utebatur lectione Statium equidem opinor. Prorsus autem videtur illa infida esse dicta in ludo rhetorico, ut Ovidius quoque, arte rhetorica nutritus, ei, ad quem illam epistulam, quae inscribitur Ibis, mittit, malum optat his verbis v. 347 sq.:

nec tibi contingat matrona pudicior illa,
qua potuit Tydeus erubuisse nuru. —

Ceterum sane concedendum est poetam in mythologicis rebus nonnunquam errare, cuius rei ut exemplum afferam, commonefacio id quoque, quod haud dubie Hippocrenen fontem, qui in Helicone, cum Pirene fonte, qui est Corinthi, confundit. [1])

Quid, quod — id quod obiter addam — eundem quodam loco (Achill. II, 3) errore esse deceptum videmus in geographicis quoque rebus, id quod primus Köstlin (Philol. 35 p. 533) animadvertit. —

Ut nobis summa cautio erat adhibenda dicentibus Statium sequi scholasticos quosdam mythologicarum rerum indices, ita de hac re, quae sequitur, caute iudicemus.

Quod poeta in Silvarum celeriter condendarum dispositionibus et sententiarum inventione in usum contulit ea quae in ludo rhetorico cognoverat, non est, puto, quod admiremur.

Et Vollmer [2]) optime et diligentissime demonstravit

---

[1]) cf. Silv. II, 7, 4, Theb. IV, 60 et Vollm. p. 374.

[2]) cf. veluti adnotationes, quas commentariis singularum praemisit eclogarum I, 1, 2, 3, II, 1, III, 2.

scholastica quaedam σχήματα et τόπους [1]) quosdam apud rhetores sollemnes recognosci [2]) in illius eclogis.

Sed ne hac quidem in re plane monstrare possumus singulis rebus, quatenus accurate ab illis praeceptis pendeat; nam aut omnino desunt illa exempla, aut nos quidem ipsa accurate non habemus cognita. Huc accedit, quod Statius, qui omnino nunquam fere non sui iudicii est, saepissime, quam quaestionem infra attingemus, illis scholasticis usus exemplis sollerter ac commode argumenta tractat, veros sensus et animi impetus, vere poeticam indolem praestat — ita ut memoriam eius rei, quod est scholae alumnus, paene oblitteret. —

Paulatim ac sensim exstitit nunc quaestio, num omnino ipse vere poetica facultate sit praeditus ac natura, quod sit proprium illius ingenium ac indoles.

Ac primum quidem de hac quaestione pauca verba faciam. Sane inveniuntur loci, ut iam supra diximus, nonnulli, quos Statium, ut conderet, illo immodico studio res accuratissime depingendi seductum esse diximus, qui sane parum sunt poetici. Neque est dubium, quin occurrant loci quoque, qui non pulchri nostro sensu esse videantur — dico nostro sensu. Neque enim, quod H. Müller (l. l. p. 10 sq.), qui imprimis illos locos Statio vertit opprobrio, e. g. offendit in Silv. I, 2, 268 sq., id neglegendum nobis est poetam alloqui ipsum sponsum. Scilicit cum in epithalamio, quod genus carminum minime pudicum esse Müller ipse recte concedit, talia verba facere haud dubie poetae liceret, nos eum vituperemus, quod ne in Achilleide quidem parum poetice dicere v. 671 sq. veretur. Qui versus sane dedecent Statium: qui quam polito atque urbano sensu fuerit, indicant hi versus elegantissimi nec non venustissimi, quibus Argiam et Deipylen, filias

---

[1]) Veluti disserta fuisse praecepta, qua ratione locus de inferis et Elysio in epicediis esset tractandus, accuratius nuper Karsten (Mnemos. 27_4, p. 376 sq.) monstravit.

[2]) Hac re imprimis illum virum doctum optime esse de Silvis iudicandis meritum Weyman (Blätt. f. d. Gymnasialschulw. 1899. p. 584) iuste dixit.

Adrasti, Polynicis et Tydei sponsas, in Thebaide describit (II, 230 sq.):

‚Ibant insignes vultuque habitoque verendo
candida purpureum fusae super ora pudorem
Deiectaeque genas; tacite subit ille supremus
Virginitatis amor, primaeque modestia culpae
Confundit vultus; tunc ora rigantur honestis
Imbribus, et generos lacrimae iuvere paventes.‘

Iam pergamus et ad summam accedamus. — Subtili iudicio Vollmer rem tetigit ad Silv. I, 2, 213 sq. adnotans p. 256 haec: Man beachte die durch äusserst geschickte Zusätze gewonnene Anschaulichkeit der Vergleiche. St. macht aus dem nackten, trockenen Gedanken — zwei reizvolle Situationen, wert durch den Pinsel des Malers festgehalten zu werden. In dieser Kunst steht er den Augusteern gleich, ja übertrifft sie teilweise.

Quam artem poeta non solum in comparationibus, de quibus disserere nolo, sed etiam omnino in narratione ipsa praestat saepissime. — Ita valde delectamur illo iucundo carmine (Silv. II, 3), quo Atedii Melioris arborem describit et celebrat. — Pholoe nympha quae Pana fugit, victa labore, fessa metu (v. 16 sq.)

‚flavos collegit amictus
artius et niveae posuit se margine ripae.‘

Legas autem, quaeso, illos venustate affluentes versus II, 2, 100 Silv., quibus praeterea, quanta vi imaginandi fuerit Statius, elucet, iam a Vollmero (p. 350) satis explicatos et existimatos.

Illam vero artem imaginandi et lepide ac venuste pingendi cum in ceteris carminibus non raro tum in Achilleide praebet eximie.

Nonne quasi sub oculos, ut unum exemplum in memoriam reducam, nobis subicit Achillem [1]), ita ut puer tanquam vivus ipse nobis praesens adsit, his verbis (Achill. 159 sq.):

[1]) Vel illos locos commemoratos contemplantes intellegimus Claretium non prorsus recte dicere (l. l. p. 56), personas quas e mythologicis fabulis arcessat, nullo modo viventibus similes esse; verba, non personas nobis proponere eum.

‚Ille aderat multo sudore et pulvere maior,
Et tamen arma inter festinatosque labores
Dulcis adhuc visu: niveo natat ignis in ore
Purpureus fulvoque nitet coma gratior auro.
Necdum prima nova lanugine vertitur aetas,
Tranquillaeque faces oculis et plurima vultu
Mater inest etc.‘

Praeter autem illam facultatem, in qua Statium maxime eminere videmus, aliam rem item esse, quae cum eius ingenio ac natura poetica sit artius coniuncta, iudicabimus. Meminerimus veluti illud poeticum carmen Silv. V, 4, in quo amoene nec non argute e. g. a Somno petit hoc (v. 14 sq.):

‚At nunc, heu, si aliquis longa sub nocte puellae
bracchia nexa tenens ultro te, Somne, repellit
inde veni!‘

Deinde perlegamus e. g. Silvarum carmina II, 3 et III, 1 nec non Achilleida. —

Quod quidem epicum opus Ribbeck (l. l. p. 244) aptissimo vocabulo indicavit nostra lingua: gemütlich, schalkhafte Erzählung.

His igitur praecipue facultatibus floret poeta, quibus praeditus iocularitеr faceteque nec non iucunde narrare atque imagunculas quidem, si hoc vocabulo uti mihi licet, paucis adumbrare et vere depingere callet. — Exempla autem infra augebo. Iam inspiciamus singula opera ipsa.

Thebaidem quidem, quippe in qua auctoritas scholae paene prorsus valeat, omnes fere viri docti vituperant. Quin etiam Baehrens (l. l. p. XVII) ad id procedit, ut hoc carmen epicum corripiat his verbis — haud dubie nimis duris: Fere despicimus Thebaida, ut opus propter ipsam doctrinam ieiunum languidumque. — Displicet sane vel maxime, quod Statius scientiam immodice adhibens et ostentans sese saepissime auribus inculcat nostris.

Huc accedit, quod Moerner (l. l. p. 19; p. 1 sq.) cum causa poetae summo opprobrio vertit obscuritates et dissensiones in Thebaide quasdam. Quas quod in Thebaide, in quo carmine epico pangendo et limando se duodecium annos im-

pendisse ipse dicit, non plane, ut Moerner, poetae neglegenti imputem, sed equidem ex eis concludam Statium non satis fuisse parem labori. —

Aliter hac in re de Silvis iudicamus. Quod enim poeta in his eclogis haud dubie non raro se praebet neglegentem, cuius rei exempla attulit H. Müller (l. l. p. 5 sq.), hanc neglegentiam potius ei esse condonandam puto. Nam quanquam non est dubium, quin Statius — id quod Leo (l. l. p. 10) iure ac merito pronuntiavit, nihil in publicum emiserit, quod non perfectum ab arte ipse habuerit, quanquam haud dubie ipse ‚nunquam limam deprecatus esset, si eius severitatem revera extimuisset', tamen nos quidem omnino non admiremur, quod carmina illa quam celerrime contexta non prorsus omnibus in rebus limata esse videntur. — Immo vero si semper celeritatem respiciemus, nos etiam nunc laudabimus facultatem eius extemporalem, illam ‚gratiam celeritatis', qua quod Statius gloriatur, non vituperem.

Iam liceat mihi de eclogis quibusdam ipsis accuratius agere, ut Silvas omnino rectius intellegamus atque iudicemus.

Haud dubie Kerckhoff[1]) verba faciens de dissertatione Ruedigeri, qui accuratius egit, qualis condicio intercesserit inter poetam et eos, ad quos eclogas mittit, iure ac merito ea, quae is concluserit, non tam ex epithetis illis quae vocantur, quam ex ipsa indole, quam in singulis carminibus inveniamus, effici censet: sane vel ex ipsa indole singularum eclogarum diiudicare possumus, quis in fautorum Statii numero, quis in amicorum sit habendus.

Et opineris paene non eundem poetam illa carmina inter se tam diversa confecisse. —

Veluti vide sis, quantopere inter se discrepent Silv. I, 3 et II, 2, in quibus villae quaedam describuntur. Quarum utraque in ecloga Statius plus minusve[2]) est secutus praecepta descriptionum rhetorica. Quis autem est, quin illud poetam dedicare fautori sentiat, quem haud dubie magni aestimet, hoc parentibus amici?

---

[1]) Wochenschrift für cl. Phil. 1889. p. 239.

[2]) cf. Vollm. p. 263.

Porro comparemus II, 1 et II, 6.

His in consolationibus sane adhibet τύπους quosdam apud rhetores sollemnes, de quibus Vollmer p. 316 sq. egit. Sed cum huius carminis, quod ad Flavium Ursum poeta misit, verba satis languida et frigida esse videantur, illud, quod Atedio Meliori dedicatum est, Statium consolandi causa ex sincero animo scripsisse sentimus, [1]) ita ut illum [2]) in poetae fautoribus esse habendum, hunc in eius intimorum numero fuisse intellegamus. Neque enim solum lamentatur docteque queritur Glauciae mortem, sed vere consolari [3]) scit intimum, cum — non ignarus eos qui sunt in luctu magno affici gaudio, si mortui ab aliis praedicantur, ipsos quam plurimas res de eis quamvis parvulas accipere pervelle — egregie narrat v. 39 sq., [4]) quam pulcher fuerit puer, quanto opere blande Atedium amaverit, alia. Legit autem summa laetitia iterum atque iterum, opinor, Melior, quamvis maestus paene subridens illos dulces versus 124 sq., quibus Statius tam amoene commonefacit amicum veluti eius rei, quod

‚iam tamen et validi gressus mensuraque maior
cultibus et visae puero decrescere vestes'.

In I, 5 balneum dilecti sodalis (v. 9), Claudii Etrusci minoris, non minus hilariter quam venuste celebrat; conf. imprimis v. 1—29.

Quodsi admireris fortasse, quod carmen III, 3, ut eidem intimo sodali dedicatum non ita undique esse perfectum, non

---

[1]) Hanc differentiam inter illa carmina esse iam Curcionem (Studio su P. Pap. Stazio, Catania 1893) p. 181 sq. sensisse video.

[2]) Ruediger, qui sola epitheta in illis viris existimandis adhibeat, ita ut non satis cognovisse videatur, quibus viris Flavium Ursum adscribat, (l. l.) p. 30, ubi ultimo loco Statii familiarissimorum eum esse vult, perhibet haec: Haud scio an hoc loco aptissime adiungam Flavium Ursum, quo numerum eorum, qui a Statio laudibus laudantur compleam.

[3]) Vel ex II, 1 plane efficitur Claretium (l. l. p. 19) non satis iure in universum dicere Statium moerentes consolari minime tentare, eisque nihil nisi canoros versus afferre.

[4]) Statium v. 119 significare velle (cf. Vollm. p. 329) ipsum Atedium vel ex ea re intellegitur, quod v. 173 is qui Glauciam genuit appellatur genitor. cf. Silv. V, 5, 11.

satis ex corde scriptum videtur, haec sunt respicienda nobis, quae Karsten (l. l. p. 375) non intellexit, qui III, 3 multa habere lumina doctrinae et ingenii, sed nulla sinceri pectoris pronuntiavit — mea quidem sententia non utique recte. Illa in consolatione, quam misit ad Etruscum, cuius pater c. 90 annos natus obierat diem supremum, fieri non potuit, quin eius exsilium plane silentio praetermitteret. Etiamsi autem poeta sollerter scit [1]) haud dubie de illa re satis acerba ac difficili caute loqui, tamen eum male ea affici eamque dolenter ferre sentias. Nam, si re vera fuerat pater noxius, Statium, ut erat summa morum elegantia, de ea verba facere non potuisse per se patet; sin autem ille in exsilium erat missus potius ex libidine tyranni et crudelitate, multo minus aperte dicendum erat poetae. — Ita factum est, ni fallor, ut, quod poeta id anxie studebat, ne diceret nimium, ne aut filium vulneraret aut laederet imperatorem, sermone tumidiore non ita sincere expressi videantur animi motus: quos plane nec non optime expressos meo quidem arbitrio videmus de integro verbis Etrusci (v. 182 sq.) et Statii ipsius allocutione mortui (v. 208 sq.).

Iam contemplemur III, 1 et I, 2 Silv. Illud Pollio Felici dedicatum carmen Claretie non satis intellexisse mihi videtur, cum (l. l. p. 20) scribit haec: Ipsi dii Statio maiestatis verecundiam vix afferunt. Quid enim magis ridiculum, quam querelae Herculis gementis de Polli avaritia etc.?— Manifestum enim est velle Statium ipsum illam eclogam nobis ridiculam atque iocosam videri. Est haud dubie summo opere laudandum — et optime ei successit —, quod non simpliciter de Herculis templo aedificato facit verba, sed argumentum carmine ioculari concipit, hilariter ipsum *αἴτιον* quod vocatur narrat, deum comico more inducit. — Quam vero poeta praestiterit sollertiam singulis rebus in consilio obtinendo et persequendo, iam Vollmer [2]) perbene monstravit, ut me hac de re latius agere non sit necesse. — Mihi quidem liceat diserte

[1]) cf. v. 154 sq. et Vollm. p. 418.

[2]) cf. eius viri docti adnotationes veluti v. 40, 50, 105 et ea quae praemonuit p. 385.

laudare v. 69[1]) sq., in quibus pangendis Statius facultate iocularitер narrandi maxime floreat, et v. 125 sq., quibus non minus amoene quam incunde describit ipsum Herculem in templo aedificando elaborantem. Dico denique v. 134 sq.:

‚Decrescunt scopuli et rosea sub luce reversi
artifices mirantur opus.‘

Quamvis paucis, dilucide narrat rem, ut illos ipsos paene oculis aspicere nobis videantur mirantes, quod nocte remota sunt, quae obstabant et impediebant. — Neque minus delectamur carmine I, 2, quod Arruntio Stellae intimo et Violentillae dedicavit Statius. Hoc in epithalamio benigna materia commode usus est ad lascive et venuste narrandum. In memoriam reducas, quaeso, illum amoenum locum[2]) v. 11 sq., deinde v. 93 et 120 plenos lepidae assentatiunculae. Quid, quod festive salseque enuntiat Statius ipsum Iovem amore Violentillae flagrare coepisse inducens Venerem haec dicentem (v. 134[3]) sq.):

‚Quod nisi me longis placasset Iuno querelis,
falsus huic pennas et cornua sumeret aethrae
rector, in hanc vero cecidisset Iuppiter auro.‘

Porro haud dubie cum sponsis satis verecunde iocatur cum ridicula quadam gravitate finem nuptias celebrandi his verbis faciens (v. 241):

‚Hic fuit ille dies: noctem canat ipse maritus.‘ —

Ad nostram autem eclogam imprimis revocandum est haud dubie illud verum iudicium quod Ribbeck (l. l. p. 222) facit de Statii poesi:

Der Improvisator ersetzt, was seinen Stoffen an Bedeutung und seiner Darstellung an Gedanken fehlt, durch lodernde Begeisterung, durch überstiegene Einfälle und Vergleiche. Fortwährend müssen Götter und Heroen die Kosten

---

[1]) De Vergili verbis in rieus deflexis v. 73 sq. cf. Vollm. p. 256.

[2]) cf. Theb. I, 536, II, 230 sq.

[3]) Ut hoc loco longae querelae Junonis ridiculum in modum dicta sunt consulto a poeta, ita — id quod obiter afferam — non minus paene ridendum nobis videtur, quod Theb. I, 256 facit illam deam ira incensam hoc modo loquentem: ‚Mentitis ignosco toris etc.‘

der Decoration bestreiten. Man darf diesen schimmernden Flitterstaat nicht schwerfällig, die Hyperbeln nur nicht wörtlich nehmen, sondern als galante Complimente, die mit halb ironischem Lächeln geboten und ebenso entgegengenommen werden.

Ut denique complectamur [1]) atque in universum iudicemus, Statium praecipue in carminibus, [2]) quae ad intimos [3]) mittit, veros animi motus optime exprimere, eleganter ac lepide describere, iocose et facete narrare scire semper subridentem nos quidem censeamus. Hic praecepta scholastica ingeniose propria indole in suum usum confert, hic lingua et pectore verus est. —

In eclogis quas ceteris dedicat, non ita ipse est, verba eius saepe docta ac frigida [4]) nobis videntur, nonnunquam plane ut rhetoris. —

De laudanda Achilleide viri docti uno ore inter se consentiunt, quippe in qua non ita ex schola rhetorica pendens magis ostendat suam indolem atque ingenium.

---

[1]) De III, 5 disserui p. 14 sq., de IV, 4 p. 15.

[2]) Horum carminum esse locos, quos Karsten l. l. p. 349, 356, 374 sq. ut lectu digniores affert, paene omnes video, qua re, meae sententiae confirmationem quandam succrescere arbitror.

[3]) Interior societas Statio fuisse mihi videtur cum Arruntio Stella, Claudio Etrusco minore, Atedio Meliore, Vitorio Marcello, Septimio Severo, Vibio Maximo, Julio Menecrate, Pollio Felice, huius socero. Quod autem Ruediger (l. l. p. 28) familiarissimis Statianis adscribit etiam Maecium Celerem et Plotium Grypum, de hoc adhuc dubito, cum illo minime eadem familiaritate poetam fuisse coniunctum, atque veluti cum Atedio, ex toto illo propemptico (Silv. III, 2) ipso plane effici mihi persuasi. Cf. ea, quae Vollmer p. 395 de compositione carminis dicit. — Ceterum ego quoque dissentio cum Kerckhoffio (Wochenschrift f. cl. Phil. 1889, p. 239) et Vollmero (p. 18) a Ruedigero, qui p. 34 Statium fuisse clientem illorum asseverat. Neque enim ullo modo eis locis quibus ille nititur demonstratur revera poetam, qui ipse quoque nobili genere ortus, quanti originem nobilem aestimet (cf. Lottich. St.' Trostgedicht a. d. Claud. Etrusc. Silv. III, 3, Hamburg 1893 p. 7), nonnunquam profitetur, sibi patronum adoptasse Maecium Celerem vel Plotium Grypum.

[4]) E. g. cf. Silv. III, 2, 90 sq., ubi rhetoricum in modum atque satis ieiune se ipse accusat Statius, quod Maecium non comitatur, — neque ullam veram tamen causam proferre potest.

Haec de singulis Statii operibus. Iam subnasci potest quaestio, quo in genere poetarum ille sit habendus. —

Haud dubie maxima ex parte ille poeta epicus esse videtur? Quid? Nonne eius praestantissima opera sunt illa epica? Ne ipse quidem illius praecipue poetarum generis esse se negavit, cum illa significarit esse summa poemata, Silvas illo nomine praelusionum appellarit (Praef. I, l. 8). Adde quod veluti amico ‚scire petenti quae sint exordia musis' Thebaide commemorata dicit Achilleidem (cf. IV, 4, 87).

Priusquam autem de hac re disputemus, quid sit de Silvis cogitandum, quaeramus. — Ne in eis quidem semper fere Kerckhoff (l. l. p. 32) illum revera poetam epicum non esse contendit. Sane cum ex aliis causis est hoc iudicium faciendum, tum propter hanc rem, quod Statius in eis fere utitur hexametro hervo (si praetermittimus illas quattuor metro hendecasyllaborum conditas eclogas), solum bis propriis lyricis metris atque ita, ut eius carminis (Silv. IV, 7), in quo primum [1]) propriam formam lyricam ipsam adhibet, ineuntibus strophis diserte de ‚novo plectro' faciat verba. — Iam breviter strictimque de Silvarum argumentis disseramus in universum. Leo (l. l. p. 1 sq.) quidem eo progreditur, ut Silvas esse generis poematum elegiacorum pronuntiet, sit licet ille ab elegiacis poetis ‚diversus et metro et argumentis et scribendi ratione, quae diversitas sit temporum et ex rerum ac litterarum natura explicanda'.

Qui prorsus errat, cum putat ‚esse locum' (I, 2, 7 Silv. cf. Vollm. p. 239) (quem scilicet satis per vim mutat) ‚in Stati Silvis, quo Elegiam inducat eo invento, quod mutatam elegorum condicionem tanquam imagine illustret', atque ita Statium ipsum id studuisse, ut significaret hexametris solis versibus ut nova elegiarum forma esse utendum et se uti. Supersedeo autem plura verba facere de Leonis sententia non plane probanda, quoniam Vollmer (p. 25 sq.) de illa quaestione optime disputavit. Neque enim est dubium, quin hic l. l. merito Silvarum argumenta doceat partim spectare

---

[1]) cf. p. 37 sq.

ad elegiarum et epigrammatum et epistularum genera, partim esse descriptiones. Ita rem sese habere nos quidem intellegimus atque iudicamus; neque tamen Statium ipsum magis consilio scripsisse epistulas Horatianas quam elegias Ovidianas manifestum est. —

Ita quanquam Statium esse in Silvis quoque poetam epicum et metro et scribendi ratione et Silvarum argumenta variorum esse generum vidimus, ita ut ad lyricos poetas poeta hac certe in re pertineat, equidem non tantummodo Silvarum materiis et illis propria lyrica forma scriptis eclogis eum esse dignum iudicem, cui nomen ipsius lyrici poetae aliqua ex parte concedatur. Neque enim nos posse Kerckhoffio adstipulari, qui ‚animi motus lyricasque quas dicere solemus, affectiones plane illum neglegere' l. l. pronuntiat, cognovimus, spero, procedente hoc capite. —

Quidnam in Statio poeta admiramur atque probamus? Ut hanc rem omittamus, quod erat summa versuum pangendorum experientia, laudatur cum causa eius facultas extemporalis vel ea res, quod optime haud dubie scit dilucide ac perspicue describere villas. Et quod in Statio fuisse vere poeticam indolem atque ingenium, vere poeticam artem vidimus, illas dico facultates, quibus praeditus et imagunculas lepidas paucis venuste nec non vivide adumbrare et iocularitеr faceteque atque iucunde narrare callet, summas et eius proprias naturaque insitas esse. Neque tamen, licet videatur sibi ipse epicus poeta esse, eum satis fuisse idoneum ad epica opera magna conficienda iam supra cognovimus. Quid? Nonne in altero carmine epico maxime illis duabus quas diximus summis facultatibus Statius floret? Quo factum est, ut Achilleis quidem[1]), quae nescio an tanto opere esset laudanda, si eam perfecisset, placeat ideo paene omnino, quod in eius initio poetae data erat occasio imprimis propria indole utendi. —

---

[1]) Ceterum optimo iure Schanz (l. l. p. 320) id epyllion, quo nomine appellat bene partem Achilleidis traditam, suavit atem habere, sed latius esse dispositum iudicat.

Non sua indole Statius epicus poeta factus est, sed quod omnino ‚florebat per primum imperatorum aevum unum epicum genus', ut Leo (l. l. p. 4) optime iudicat. Ita intellegimus, cur non ab initio plane ingenium suum in promptu habere coeperit neque unquam prorsus — ne in Achilleide quidem, in qua minus scholae discipulum sese praestet, — eo usus sit. — Quod autem Statium ita Ovidio quasi successisse, ut nova forma usurpata elegias ipsas consilio conderet supra negavimus, non est dubium, quin lyricam illam artem, qua tam insignis est, discens — fortasse ab Alexandrinis ipsis quoque — imprimis ab Ovidio sit profectus, quem magis mihi adaequasse videtur quam Vergilium, quem ipse semper aemulatus est. — Ita quidem Leonis verba stant, qui (l. l. p. 1) sine dubio futurum fuisse contendit, ut ad Ovidii et elegiacorum aliorum coetum pertineret, si cum illis vixisset. — Sit autem cum illo aliqua ex parte comparandus poeta noster, maximum intercedere inter eos discrimen videmus vel ex hac re, quod nihil Ovidii ipsius naturae, quam etsi non laudamus, non plane gravamur, in Statio invenimus.

Veluti uterque narrat poetis Graecis usus Achillis et Deidamiae amorem. Sed cum Ovidius non minus ingeniose atque eleganter quam leviter ac quasi insolenter, ut solet, faciat (Ars amat. I, 697 sq.) haec verba:

Forte erat in thalamo virgo regalis eodem;
haec illum stupro comperit esse virum:
viribus illa quidem victa est (ita credere oportet),
sed voluit vinci viribus illa tamen etc.,

Statius sentiens quid deceat magis pudicum sese praestare mavult et priorum exemplis ita utitur, ut verecunde nec non delicate dicat haec (Ach. I, 640 sq.):

‚et densa noctis gavisus in umbra
tempestiva suis torpere silentia furtis
vi potitur votis et toto pectore veros
admovet amplexus: vidit chorus omnis ab alto
astrorum et tenerae rubuerunt cornua Lunae.
Illa quidem clamore nemus montemque replevit.'

Haud dubie concedes me finem huius capitis facere verbis

Claretii his (l. l. p. 85): Quomodo fieri possit, ut Statio — plura licet ei defuisse fatendum sit, — invideamus laudes incundi amabilisque poetae, omninoque digni, quem amico continusque favore prosequamur?

IV.

De Silv. IV, 7.

Quod Vollmer p. 484 adnotat ad v. 5 in commentario: Pindar als Vertreter der Lyrik entlehnt St. wieder dem Horaz; seine Absicht ist dabei, diesem γενεθλιακόν den Ruhm des Erstlings auf römischem Boden zu wahren (s. novi v. 6, intonsa v. 10); novi hat also den Doppelsinn: für Rom wie für mich, hac in sententia ei assentiri minime possum.

Nam ex verbis, quae Statius de ecloga nostra facit praef. IV l. 15 sq.: ‚Maximum Vibium et dignitatis et eloquentiae nomine a nobis diligi satis eram testatus epistola, quam ad illum de editione Thebaidos meae publicavi, sed nunc quoque eum reverti maturius ex Dalmatia rogo‘, ne ipsum quidem γενεθλιακόν (cf. v. 29 sq.) dicere summam carminis sui partem videmus. Quomodo poeta ipse illum titulum capi velit, apparet vel ex verbis praef. II l. 20, quo loco illud carmen II, 7 in Lucani honorem factum, quod Pollae Argentariae mittit, appellat nomine γενεθλιακοῦ, cum ne carmen IV, 8 quidem, in quo Menecratis ‚tertiam subolem‘ (v. 4) celebrandam ab initio dicit Statius, peculiari titulo inscribat, sed simpliciter[1]) praef. IV l. 20 scribat: ‚cui gratulor‘. —

Iam legas, quaeso, eclogam IV, 7 ipsam: Cupit poeta amicum mox redire, ei autem ignoscit moram, cum interim ‚Maximus alter venerit‘, cui si bona non optaret omnia versibus sequentibus Statius, admodum miraremur. — Ita videmus carmen nostrum esse, ut IV, 5, simplicem epistulam poeticam amico procul absenti missam. Quare mea quidem

---

[1]) De illo titulo ‚Gratulatio ad Jul. Menecratem‘ cf. Vollm. p. 207 sq.

sententia illum hanc eclogam scribentem id spectasse, ut ‚huic γενεθλιακῷ primam in litteris Romanis gloriam servaret, ut Vollmeri adnotationem vertere coner, omnino non est nobis cogitandum. Quid? quod hoc in carmine neque certum quoddam novum genus neque tale in novam metricam formam redactum invenimus. Sed equidem arbitror novum illud eclogae ne ipso in illo quidem stropharum genere, quoniam haud dubie ipsam Sappho invocasset, sed sola in lyrica forma in universum contineri, quam novam dicit, cum ipse in ea adhuc sit quasi peregrinus. Itaque invocat Pindarum quasi in universum poesis lyricae principem. Thebanum autem poetam, quem ab Horatio mutuatur, appellanti datur facultas Thebaidis commemorandae (v. 7 sq.). Summo studio carmen lyrica forma conficiendum aggreditur Statius (v. 11 sq.). Nunc ‚herois [1]) laboribus' dilatis et lauro posita qua ut vates Apollinis antea erat ornatus, ei serta sunt capienda a myrto (v. 10). — Quomodo autem illa myrtus est intellegenda? — Meo quidem arbitrio Vollmer p. 485 non recte dicit Statium ita loqui, quod ecloga pertineat ad Venerem, quoniam Venus ipsa in illis versibus nimis parvas partes agit. Sed poetam illa myrto, quia carmina [2]) Veneris, cui myrtus est sacra, lyricis metris scripta sunt, diserte formam eclogae omnino esse lyricam significare velle existimo. Myrtum autem dicit Statius non minus in universum et paululum indiligenter, quam in ineunte carmine Erato musam. ‚Intonsa' vero ‚myrto' ille scribens denuo id quoque dicere vult sese hac ecloga primum [3]) lyricam formam aggredi. Quae cum ita sint, concludendum est, credo, carmen nostrum esse confectum ante Silv. IV, 5 vel eodem fere tempore, quod vere anni 95 est scriptum. Quomodo rem sese habere, fortasse ex Statii ipsius verbis effici potest. Quod enim ad v. 17 sq. adnotat Vollmer

---

[1]) Klotz, non solum ‚heroos labores' (v. 2) esse intellegendos de Achilleide, sed omnino pertinere ad carmina hexametro contexta, scil. ad Silvas quoque, censet. Cuius sententia, de qua me per litteras certiorem fecit, vera esse mihi videtur.

[2]) cf. I. oden, qua Sappho deam invocat; a qua ipsa fortasse Statium illud metrum esse mutuatum Vollm. p. 483 recte dicit.

[3]) cf. ceterum Vollm. p. 468 l. 2.

p. 485 haec: Gedankenverbindung: Du solltest erst recht in deine Heimat Rom zurückkehren, weil auch ich dort weile, obschon mich meine nahe Heimat mit all ihren Reizen lockt. — Durch Hervorhebung aller Pointen (dulci, natum, propiore, amoeno) verwirrt St. den einfachen Gedanken, miror quid sibi velit ille vir doctus. Ac primum quidem Vollmer ipse pronuntiat et (p. 9) IV, 7 esse confectum eodem fere tempore ac IV, 4 i. e. aestate a. 95 et (p. 18) Statium transmigrasse Neapolim a. 93/94 [1]), ita ut in ecloga nostra omnino non potuerit iubere poeta amicum Romam redire, quod ipse versaretur in urbe. Deinde autem, mea quidem sententia, verba Statii omnino non ita, ut ille vir doctus vult, explicanda sunt. Immo eorum sensum esse simpliciter hunc puto: Kehre du, ut nostra lingua utar, in deine Heimat zurück, von der du jetzt so weit entfernt bist, wie ich in meine Heimat, die doch so nahe ist; trotzdem eile ich dahin, und nicht Baiae und Misenum selbst mit ihren Reizen können mich aufhalten. Ita si verba illa interpretamur — ut interpretanda esse mihi est persuasum —, videmus carmen temporibus, quibus Statius in patriam est reversus, fortasse iam Neapoli vel in agello Albano, ubi Statium aestatem anni 95 — vel partem quidem aliquam illius aestatis — egisse Vollmer p. 18 summa cum specie veritatis opinatur, scriptum esse — ante IV, 5 vel eodem fere tempore atque hoc carmen, quod idem Albae factum est. — Quod autem praef. IV l. 18 legimus praesens ‚rogo', sententia nostra non labefit; id autem concludi potest Vibium Maximum etiam temporibus libri IV. editi i. e. aestate a. 95 in Dalmatia esse versatum. Deinde si quis admiratur, cur Statius eclogam nostram non ante IV, 5 posuit, tenendum est illum omnino non ordine temporis [2]) carmina disposuisse. — Fortasse autem poeta digerendarum libri IV eclogarum talem rationem instituit, ut primo loco legerentur carmina illa tria quibus imperatorem celebrat, secundo loco carmina eius, cui librum dedicat, et eius condiscipuli [3]) (IV, 5), denique cetera.

[1]) Revera anni 95 vere ille rediit in patriam, ut vidimus p. 15.
[2]) cf. Kerckhoff l. l. p. 14. [3]) cf. Praef. IV. l. 13.

V.

Appendix.

Utrum Statius Albae in agone semel vicerit an saepius.

Mea quidem sententia minime Kerckhoff plane diiudicavit (l. l. p. 28) quaestionem. — Sane hac in re, quod scribit pro ‚ter' quod libri praebent III, 5, 28 Silv. ‚tu', quam coniecturam iam Politianus proposuit, prorsus cum illo facio. Quod autem pergit pronuntiare: tamen emendatam illam vocem, quamvis sibi arrideat, in textum non sese recepturum esse, nisi ceteris locis adiuvaretur, quibus de illa victoria Statius loquatur, in illius partes non accedam. — Neque enim est ullus locus, mea quidem sententia, quo demonstretur plane fieri non posse, ut de compluribus victoriis Albanis poetae nostri cogitemus, e contrario, opinor, potius complures quodam versu indicari videntur. — Meo quidem arbitrio ex IV, 5, 22 Silv. concludi nihil potest. Nam quod Kerckhoff (p. 29) Statium, ut fuerit laudis cupidissimus, dicturum fuisse ‚ter decoravit' vel ‚decorabat' (i. e. decorare solebat), si revera ter ibi vicisset, affirmat, hoc plane nihil valet. — Sed cum ceteris tum V, 3, 225 sq. Silv. nititur Kerckhoff, cum dicit, si revera ter vicisset Statius, fieri non potuisse, ut scriberet: illa dies v. 230, immo ei autumandum fuisse: Quantopere tres illi dies gloriae meae pleni te corroborassent! — Ac primum quidem mea quidem sententia, etsi hanc rem non esse fateor premendam, paene fuisset ridiculum, si Statius accurate illo loco victoriarum numerum commemorans, qui plurimis haud dubie esset notus, hoc modo quo Kerckhoff iubet locutus esset — ita ut eam solam rem primo obtutu possimus admirari, quod singularem, non pluralem legimus. At, ut id praetermittam, quod etiamsi Statius, ut singularem vitaret et complures significaret victorias, posuisset pluralem ‚illi dies', verba non satis essent perspicua, quoniam pluralis de quinque illis diebus agonis (cf. Gsell (Essai sur le règne de l'empereur Domitien. Paris 1894) p. 125 et C. J. L. I[1]). p. 388/389) intellegi posset, — equidem ex antecedentibus versibus effici ‚illam diem' solam unam victoriam significare necesse minime esse reor. — Quod enim Vollmer p. 17, 2, 3 fieri posse dicit, ut v. 215 sq. de agonibus Neapolis Augustalibus intellegamus, equidem utique ita nos esse intellecturos arbitror versus, si Statii verba diligenter inspexerimus:

v. 215 sq. praedicat patrem hisce verbis:

‚qualis eras, Latios quotiens ego carmine patres
mulcerem, felixque tui spectator adesses
muneris etc.' et v. 220 pergit:
‚talis Olympiaca iuvenem cum spectat harena
qui genuit etc.'

Nonne apparet illud v. 215 ‚qualis' respondere illi ‚talis' v. 220? V. autem 225 sequitur statim ille locus quo queritur, quod pater solas patrias filii vidit victorias. Cum autem, etsi illo ‚quotiens' v. 215 Statium saepius vicisse haud dubie demonstratur, tamen poeta scribat v. 219 singularem: ‚quam tuus ille dies', utroque loco v. 219 nec non 230 uti illum in aperto esse mihi videtur voce illa ‚dies' ita, ut significet in universum diem ipsum festum certis quibusdam temporibus ordinem conservantem. — Itaque ut v. 219 ‚ille dies' de compluribus victoriis est dictus, ita potest fieri, ut v. 230 quoque ‚illam diem' item intellegamus. — Quae cum ita sint, ne hoc quidem loco, ex quo Kerckhoff summum deprompsisse argumentum sibi videtur, quicquam posse demonstrari mihi concedas. — Denique quod attinet ad hunc locum, meo quidem arbitrio, si quis simpliciter, ut ita dicam, iudicio non praeoccupato eum legerit, Statium in Albano agone saepius, non semel esse victoriam adeptum censebit. Statii verba sunt haec Silv. IV, 2, 65:

‚qualis sub collibus Albae,
cum modo Germanas acies modo Daca sonantem
proelia Palladis tua me manus induit auro.'

Poetam, si sese semel in agone Albano processisse et in uno bella Germanica et Dacica cecinisse dicere voluisset, fuisse scripturum ‚modo — modo' equidem omnino non possum putare. Quod Vollmer p. 431 illas quoque voces ‚talis lux' v. 64 sq. unam indicare victoriam pronuntiat, non satis eius sententiam intellego. An Statio pluralis erat usurpandus: tales luces? Quid? quod de ea re, quod semel ab imperatore ad cenam erat vocatus, nihil dicere potuit nisi singularem.

Cum autem priorem contra Chattos expeditionem fuisse anno 83 atque usque ad finem anni 89 bella Germanica et Dacica esse gesta sciamus, ita ut per complures annos Statio esset data occasio ad res illas tempestivas agonibus Albanis celebrandas, et cum legamus ‚modo — modo', quid habemus, quod demum ipsius anni 90 mense Martio post duplicem triumphum illum, ut Vollmer iubet qui coniectura Politiani ipse quoque accepta de una victoria cogitat (p. 19_{10}), poetam ambo illa bella una opera celebrasse putemus? — Propter perfectum tempus ‚induit' illud non esse opus nos cogitare de uno agone nemo est quin concedat. — Etiamsi id non urgemus, quod sine dubio ambo illa bella in una commissione canenda nimis multum materiae ac copiae praebuissent Statio, nonne per se veri multo similius videtur illa verba ‚modo — modo' spectare ad complures agones quam ad unum?

Dolendum est, quod quantum video certa desunt argumenta, ut adhuc sub iudice lis sit.

De tempore Silv. I, 1.

Denuo de tempore I, 1 Silv. mihi est disserendum est, quod neque Kerckhoffii (l. l. p. 8) neque Vollmeri (p. 5) prorsus stat argumentatio.

Quanquam enim merito hic cum illo facit qui Statium v. 36 Corneliam illam significare opinatur, tamen Vollmer, qui cogitat de anno 90/91, meo quidem arbitrio non magis recte aut iure Hieronymo, qui dicit a. 2107 i. e. eo tempore quod interest inter Oct. 90 et Oct. 91 illam damnatam, niti mihi videtur quam Kerckhoff, qui cogitat de 89/90, Armenia versione Eusebii, in qua commemoratur a. 2106. Nam cum haud sciam, an non possit hac in re diiudicari, utra lectio Eusebiana vera sit, mea quidem sententia ea re, quod haud dubie Vestatem illam dicit Statius, omnino nullum nobis est depromendum argumentum. Ceterum illum locum recentiora ad eventa puto spectare ea quoque re intellegi, quod significat poeta domum Flaviam Domitiani v. 34 quae tum aedificabatur. — Quaeramus iam, quo tempore et statua decreta et perfecta sit, ita ut eadem opera, cum versus Statius, ut ipse ait Praef. I, l. 16, imperatori postero die quam dedicaverat opus, tradere sit iussus, intellegamus, quando ipsum carmen nostrum sit scriptum. — Sane per se Vollmer (p. 4_7) merito verisimile putare mihi videtur statuam equestrem Domitiani eodem tempore ac duplicem triumphum a senatu populoque esse decretam, i. e. cum duae victoriae post a. d. XVIII Kal. Oct. anni 89 de Dacis sint reportatae, exeunte fere a. 89. Quam sententiam si probamus, statuam exeunte fere anni 90 aestate esse perfectam nobis est arbitrandum. — Nam quaerentibus nobis, quantum temporis in illa statua erigenda consumptum sit, (veluti Peter (cf. Kerckhoff p. 7_9) cogitat de triennio, Kerckhoff ipse qui certe aliquantum temporis praeterisse concedit, nonnullos menses statuere videtur, Vollmer spatium duorum annorum in tali opere consumptum satis breve esse (p. 5_1) dicit) mediam quandam viam sequi licet, ita ut non pro certo, sed aliqua cum specie veritatis opinemur spatium sex mensium minimum hoc tam ingens opus exstruendum postulavisse. — Sed cum illa sententia minime tam perspicua sit, quam Kerckhoff existimat l. l., mihi de hac re accuratius denuo est agendum. — Id quidem certum esse eo tempore quo erat perfecta statua, alterum quoque bellum Dacicum esse confectum intellegitur ex v. 79/80. — Sed si quis propter hanc rem, quod solus Rhenus (v. 50) est, quem pedibus calcat Domitiani equus, ut Nohlii (l. l. p. 9_8) verbis utar, ad Germanicas victorias celebrandas senatum populumque hanc statuam faciendam curasse arbitratur — ita ut ea multo ante illud tempus quod supra diximus sit perfecta, consideranda haec sunt: Ac primum quidem non ad victorias solas a. 83 Germanicas praedicandas ingens illud opus iam illis temporibus esse decretum et per se patet et ex ea re intellegitur, quod omnino non potuit fieri, ut Statius de tempore in eo erigendo consumpto quod esset sex fere annorum, diceret v. 61: ‚nec longae traxere morae'. Deinde Rheno victo significatur non ipsa contra Antonium expeditio, cuius seditionem Domitianus omnino non ipse oppressit, sed Germani, eius socii, Chatti, contra quos (cf. Gsell l. l. 258 sq.) imperator tum iterum proficiscebatur. Nam ipse Statius et

facit v. 79/80 discrimen inter ‚proelia Rheni' et ‚civile nefas' et Theb. I, 19 duo bella Rhenana i. e. Germanica dicit. — Ita postquam Saturnini tumultus ineunte fere anno 89 (cf. Vollm. p. 47(9)) ante imperatoris adventum est sedatus, Domitianus ipse, qui exeunte mense Januario a. 89 etiam erat in itinere (cf. Vollm. p. 47(9)), cum advenisset, in turbam Antonianam et deinde in Germanos animadvertit. — Priusquam autem nuntius Germanorum devictorum Romam latus est et senatus populusque statuam exstruendam decrevit, haud dubie ver anni 89 nec non pars aestatis iam praeterierat. Quaecum ita sint, si ad illas solas Germanicas victorias celebrandas statuam esse factam putaremus, nobis esset suspicandum illam ineunte fere anno 90 esse perfectam. — Sed nos quidem dubitamus, num omnino sit verisimile statuam esse decretam iam aestate a. 89 post bellum Chattorum, quibus temporibus bellum Dacicum nondum erat confectum. — Etiamsi autem nullo loco carminis posterius tempus pro certo indicatur, tamen, puto, adiuvamur interiore quasi causa quadam. — Num enim existimare possumus illud ingens opus esse decretum aestate 89, quo tempore maxima bello Dacico imminebant pericula (cf. Gsell p. 258), ut imperator ipse, quippe qui discrimen magnum cognosceret, statim Germanis pacatis in Pannoniam proficisceretur, non Romam rediret, ut triumphus de Germanis agendus differretur? Nonne veri multo similius est statuam esse decretam c. exeunte a. 89 post bellum Dacicum, qua aetate decretus est duplex ille triumphus? — Quod autem Rhenus solus est in statua, iam Nohl (l. l. p. 9_8) et Vollmer (p. 4_3) recte Domitianum semper Germanicis victoriis maxime esse gloriatum pronuntiaverunt. —

Itaque magis opinari licere mihi videtur carmen nostrum esse contextum aestate a. 90 quam ineunte eo anno.

Silv. I, 3 (57/58).

Denuo loquar de toto carmine, in universum de villa Tiburtina Manilii Vopisci nec non de loco quodam, quem si recte intellexerimus, de villa ipsa omnino, puto, recte iudicabimus. Neque enim esse acquiescendum in virorum doctorum sententiis adhuc prolatis censeo, ne in Vollmeri quidem. Quas cum ut multas et diversissimas hoc loco accuratius repetere et examinare nolim, paucis id quod ipse sentio, dicam. — Ac primum quidem tenendum est apparere villam utraque fuisse in ripa Anienis ex v. 24/25. Num enim revera ex v. 2 et 30 est concludendum, ut Vollmer p. 268 vult, super Anienem non esse unam domum aedificatam respectis illis locis? Ceterum quomodo tandem sibi fingit l. l. Vollmer: die in den Teverone h i n e i n ragenden Hälften? — Mea quidem sententia verba illa non ita sunt intellegenda, ut putemus ripas esse coniunctas solo ponte, qui quin affuerit, sane nemo dubitabit. Nonne enim haud dubie Statius quidem verba fecisset de illo ponte, si

eo solo tantum ‚alternas ripas servassent praetoria'? Fortasse autem ipsis Statii verbis sententia nostra fulcitur; dico v. 57/58, quorum nobis rationem habendam opinor. — Id autem statim dicam me non facere posse cum H. Müllero (l. l. p. 39 sq.), qui opinatur intercidisse post ‚ingentia mirer' versiculum. — Statius simulans sese nescire ‚quid primum mediumve canat, quo fine quiescat' praedicat res, quibus villa maxime est conspicua: auratas trabes, Mauros postes etc., deinde praecipue balnea, quae tot versibus (43—56) celebrata decus maximum et quasi lumen villae fuisse existimabimus. Ita sumptuose balneum et exstructum, ut ‚expaveant gradus.' A v. 64 poeta praecipue dicit villam tam excellentem esse, ut cum nullo alio loco sit conferenda. Antea autem legimus v. 57/58 haec verba tradita:

‚Quid nunc ingentia mirer
aut quid partitis distantia tecta trichoris?'

Quid autem significat illud ‚trichorum', de quo nil certius scimus? Ut rem paucis absolvam, id vel maxime velim teneas vocabulum proprie intellegendum esse de loco tribus locis distinctum. — Egredienti autem ex aedibus splendidissimis in conspectum cadit aedificiorum structura et ambitus ingens et altitudo. — Verisimile esse iam supra diximus unam super Anienem domum esse aedificatam, non solo ponte ‚alternas ripas servasse praetoria.' Quodsi nunc semper propriam ‚trichori' significationem respicimus et denique legimus Statii verba: ‚tecta *distantia* partitis trichoris', nonne nobis est putandum Vopisci villam fuisse exstructam unam super Anienem ita, ut duae fuerint alae et intermissa super fluvium media pars. Partes autem diversa altitudine fuisse verisimillimum est, quod ea re structurae totius villae dabatur quasi varietas et decus quoddam. Arbitror igitur ego quidem minime in illo Statii loco de tabulato, ut Vollmer p. 275 vult, esse cogitandum, sed trichorum aedificium esse tribus partibus ita distinctum, ut singulae partes ipsae quoque trichora nominentur. — Coniectura vero Domitii Calderini lenissima atque elegantissima cum Vollmero et Klotzio editoribus admissa de sensu loci illius nobis omnino non iam est dubitandum. Ille enim pro tradito ‚ingentia' scripsit ‚iungentia'. — Ego quidem interpretor verba illa v. 57/58: ‚Quid nunc iungentia mirer aut quid partitis distantia tecta trichoris?' ita liberius vertens: Soll ich jetzt den verbindenden Mittelbau bewundern oder die beiden von einander getrennten Flügel der Villa, die so zu 3 Teilen errichtet ist?

Silv. II, 2 (35, 127).

Cum nunc haud dubie nobis putandum sit cum Belochio (Campanien p. 269 sq. cf. Vollm. p. XII) balnea esse eadem atque ea quae hoc tempore appellantur bagni della Regina Giovanna, non minus cum eo et contra Vollmerum (p. 342) ‚domus' v. 21 de ipsa villa est intelle-

genda, ut eadem Silv. III, 1, 96 dicitur domus. — Appulit navem Statius sane eo loco, quem v. 15 sq. describit, et cui nunc nomen est: Marina di Puolo. Redit autem quasi animo v. 17 sq.: sane e nave primo loco, ut Beloch optime illud ‚prima' v. 17 interpretatus est, aspexit balnea — ita ut cum Vollmero post ‚exit' v. 16 punctum, cum Klotzio (Curae Statianae. Diss. Lips. 1896 p. 10) duplex punctum sit ponendum post ‚gratia prima loci' v. 17. (In editione Klotz illo loco scribit comma.) Longius progrediens deinde praetervectus est eum locum, qui nunc nominatur: Punta della Calcarella, et quo in summo erat ampla villa; revera autem egredienti e nave ante domum fuerunt templa illa. — Ita verba Statii satis simpliciter intellegi possunt. — De interpretando v. 48 consentior cum Vollmero (p. 345). Contra autem Klotzium, qui de umbra villae, de imagine villae aqua recepta facit verba (diss. p. 27), moneam haec: Apud Statium legimus ‚montis opaci umbra'. Mea quidem sententia res ita sese habet, ut poeta his verbis significet promunturium Surrentinum illud, cuius umbra sub vesperem haud dubie cadit in maris orientem versus partem, ipsam villam demum vocabulo ‚praetoria' v. 49, quae natare quasi visa sunt in illo sinu qui est inter promunturia quibus nunc nomina sunt: Capo di Sorrento et Capo di Massa.

Iam disputemus de v. 35, in quo explicando Vollmer p. 344 maxime errare mihi videtur. Neque enim magis de Lechaeo — sane — cogitandum est quam, ut ille vir doctus adnotat, de lyceo vel lyaeo quod erat in arce ipsa Corinthi, quoniam ab eo ipso ‚ferebat semita tecta ad culmen altum'. Quomodo autem intellegimus tradita verba ‚ab Inoo lyceo' vel ‚lyaeo' quod vocabulum praebent nonnulli codices. — Ac primum quidem lyceum non esse geniunum existimo ea re respecta quam iam viri docti animadverterunt, quod omnino nullo modo Ino quadrat ad Apollinem. Quod deinde attinet ad lectionem lyaeo, a principio dicam nullo loco legi neutrum genus lyaeum, ita ut nobis non sit arbitrandum Statium significare, ut Vollmer p. 344 vult, templum Bacchi, in quo colebatur Ino ipsa quoque. Porro quod Pausanias II, 2, 6, quem locum attulit (diss. p. 24) Klotz cui summopere arridet (cf. edit. p. 43) ‚lyaeo', narrat fuisse in foro duas Bacchi statuas, mihi quidem, quanquam sine dubio per se bene deus nominatur Inous, Statius parum dilucide loqui videretur, si illis verbis alteram illarum statuarum significare et dicere voluisset ab ea ferre semitam. — Sane diiudicare non possum quaestionem; mihi autem genuina lectio interisse ipsa atque pro ea, quam adhuc non video, simile aliquid (cf. v. 100) scriptum videtur.

Silv. III, 5, 64.

v. 62. ‚Sed venient, plenis venient conubia taedis:
sic certe formaeque bonis animique meretur,
sive chelyn complexa petit seu voce paterna
discendum Musis sonat et mea carmina flectit
candida seu molli diducit bracchia motu':

Vollmer p. 434 mea quidem sententia frustra conatus est traditum illud ‚petit' (quod Klotz quoque in editione retinet) defendere; id significare: wirbt, gewinnt, macht Eindruck; supplendum esse: audientem Statium autem eo uti quasi absolute quod Horatius semper cum obiecto aliquo coniunctum dicat de puella virum sibi poscente. — Ac primum quidem mihi vel per se illud nudum verbum mirum videretur. Deinde apud Horatium quidem semper petere cum obiecto coniunctum habet ipsum hunc sensum: werben um, quod meo quidem iudicio omnino non ad locum nostrum quadraret ut ieiunum, non: Eindruck machen auf, quod solum a sententiarum conexu non abhorreret. Itaque quod iam Iyraredus sensui quidem satisfecit proponens ‚ferit', Walleri (l. l. p. 36 sq.) coniectura praeferenda videtur, qui exemplis allatis scribit ‚quatit', quale verbum legentes ‚seu sonat, flectit, diducit' desideramus. —

Praef. IV, l. 31 sq.

‚Ita quare consilio eius accedam? in summam: nempe ego sum qui traducor, taceat et gaudeat. Hunc tamen librum tu, Marcelle, defendes et si videtur hactenus; sin minus reprehendemur. vale!' [1])

Multum hic praef. IV exitus viros doctos torsit. Novissimus Karsten (l. l. 362 sq.) interpres exstitit, qui alia ex parte Madvigio nisus, cuius de sententia facit verba, novam — meo quidem iudicio non veram — explicationem profert. Quod autem Vollmer, quocum faciam et cuius emendationem admitti velim, sane satis diffidenter nec non quasi in transcursu (p. 441) de loco nostro disputavit, denuo ipsa Statii verba accurate perscrutemur atque Karsteni interpretationem vocemus in examen. Hic vir doctus pro ‚taceat' scribit ‚faciat', pro ‚et' corrigit ‚me'. Locum autem ipsum hoc modo explicat: Nempe ego sum qui traducor, non libri mei. Faciat, traducat me, et gaudeat traducendo. Hunc tamen librum tu, M., defendes: me, si videtur, hactenus defendes, si nimis reprehendemur. Oppositionem enim inter ‚ego' et ‚librum, quandam deduci asseverat ille ex praegressis ‚quisquis — adversum', quae hunc sensum habeant: — ut eius ipsa afferam verba -- ‚accedunt inviti ad lectionem meorum, quia iam ante mihi adversi sunt, itaque non tam libros meos quam me reprehendunt'. Tum sic poetam pergere: ‚me traduci non curo, faciat et gaudeat. Hunc tamen quartum librum tu defendes, scil. non tam verbis, quam quod sub tuo nomine et tutela prodit, me tantum defendes, si reprehensio nimia tibi videbitur et eiusmodi, ut te quoque tangat patronum meum'. Meo quidem arbitrio Karsten perperam intellexisse Statium videtur ac verba eius plena sunt errorum, ad quos detegendos iam progrediamur. —

Ac primum quidem quaeram, quo iure ille opponi inter se ‚ego' et ‚librum' contendat. Quantum enim ego video, nullo modo Statii

[1]) Verba sic tradita Klotz in editionem admittit.

verbis talis indicatur oppositio. Nonne satis simpliciter per se adversarius, quem supra dixit poeta, opponitur? Audiamus autem illius ipsa verba, quae facit in exeunte praefatione: Non plura loquar quam in prioribus libris. Ei, qui me reprehenderunt, quod hoc stili genus edidissem, nil egerunt. Ceterum supervacaneum est dissuadere rem factum — eo magis, quod nonnulla carmina iam sunt tradita Caesari. Deinde etiamsi ‚exercere ioco haud dubie licet' inquam, adversarius utique aliquid contradicit. Novissime: si quis ex meis aliquid leget, qui in me sit infenso animo, invitus, statim se profitaetur — quam lectionem traditam cum Klotzio editore retineam — adversum. At ita nil mirum, quod ego eius consilium neglegam. In summam: ego sum, qui traducor, adversarius taceat, i. e. me urgere tandem hac de re desinat, et gaudeat. — Itaque videmus sententiam minime recto stare talo mutatione Karsteni probata, qui scribit ‚faciat'. — Iam veniamus ad ipsum praefationis finem. Mihi quidem videtur Vollmer acu rem tetigisse, cum sane non minus audacter quam ingeniose verba tradita quae per se non satis intelleguntur ne Madvigii quidem atque Karsteni interpretatione, transposuit ita, ut post ‚gaudeat' legamus: ‚Sed, si videtur, hactenus. Quae denique commode addit Statius consilii tranquillitate quadam nec non assentatiuncula Marcelli urbana, minime repugnant toti sententiarum conexui praefationis exeuntis: ‚Hunc tamen librum', — ut veluti alterum Melior — tu, Marcelle, defendes; sin minus, reprehendemur, Vale!'

De Silv. V, 3.

Cum Vollmeri [1]) sententiam admitti nolim, quae de tempore carminis V, 3 a ceterorum [1]) discrepat, denuo quaestio mihi ést tractanda. Ille edit. p. 9_{10} adnotat haec: Wollten wir des Dichters Worte genau nehmen (v. 29, 219—233), so müssten wir diese beiden letzten Ereignisse (scil. agonem Albanum et Capitolinum) in die ersten drei Monate nach dem Tode des Vaters setzen; denn diese Zeit fingiert St. v. 29 als Zeit der Abfassung. Quam opinionem non solum per se plane non esse verisimilem, ut ille vult, sed etiam omnino non habendam vel ex ea re intellegitur, quod et agon Capitolinus [2]) demum anno 86 est institutus et pater iam c. a. 80/81 [3]) obiit diem supremum. Quare quod Vollmer illud v. 29 tempus secundum praecepta rhetorica esse fictum edit, p. 9_{10}

---

[1]) Vollm. Rh. Mus. LI, p. 40. Imhof. ecl. ad ux. p. 17. Nohl l. l. p. 20 sq. Kerckhoff l. l. p. 22 sq. Klotz. Diss. p. 61 sq. Leo. Plautin. Forsch. p. 42.

[2]) cf. Friedl. l. l. III[5] p. 379 et Gsell l. l. p. 123.

[3]) cf. Vollm. edit. p. 16_3. Perversam sententiam profert Curcio I. l. p. 17 sq.

et 526 iudicat, mihi quoque, ut Klotzio (l. l. p. 61), cuius utar verbis, minime videtur verisimile poetam post decennium finxisse illud tempus. Priusquam autem hac de quaestione ipsa disseramus, accuratius nonnullos carminis locos inspiciamus ac primum quidem v. 225—238. Contra Leonem qui l. l. v. 233 sq. non scribi potuisse, nisi Thebais esset nondum perfecta, ratus, ita ut confecti sint ante tempus versuum antecedentium demum, postea illos v. 233 sq. ab editore aliquo esse inculcatos iudicat, Vollmer, qui ceterum ipse quoque (edit. p. 544) arbitratur Thebaidem nondum esse contextam eo tempore, quo v. 233 sq. sint scripti, iam recte dixit vel propter hanc rem, quod verba, quae sunt de repulsa Capitolina, medio in versu finem capiunt, veri admodum dissimile esse aliquos versus insertos.

Utique vero v. illos 233 sq. ante Thebaidem perfectam esse scriptos necesse est? Illa enim praesentia ‚labat' v. 237 et ‚caligant' v. 238, quibus Leo niti mihi videtur, sunt historica quae vocantur, quibus efficitur, ut hoc quoque loco quasi magis vivida fiat oratio, veluti legimus e. gr. carminis nostri v. 197 ‚lucent' compositum cum perfecto ‚sumpsere', v. 202 ‚concinis', ‚defles', v. 241 ‚ne queo' etc., v. 252 ‚raperis' etc. — Itaque equidem non magis cum Leone faciam quam cum Vollmero, qui edit. p. 544 haec asseverat: Da der Zusammenhang mit dem Vorhergehenden wie Nachfolgenden, wie überhaupt im ganzen Gedichte tadellos ist, so haben wir sicher die abschliessende Redaktion nach der repulsa Capitolina zu setzen. — Mea quidem sententia iure ac merito in v. 195 offendit Klotz (p. 61 sq.), qui necesse esse dicit statuamus p. 185—194 a poeta esse additos eo consilio nimirum, ut amplificaret sententiam, quam expresserat v. 177—184, quos quominus sequentibus accomodaret, morte videatur impeditus esse poeta. — Item v. 209 sq. non satis cum antecedentibus esse coniuncti videntur. Quid? quod Vollmer ipse miram esse v. 244 sq. comparationem illam recte iam commemoravit (edit. p. 544) etc.

Quibus ipsis rebus, si praetermittimus hanc rem, quod v. 129 lacuna[1]) est statuenda quam librariis codicum imputari posse concedimus, indicari censeo Statium eclogae nostrae, quae in Silv. V libro haud dubie[2]) post eius mortem edito est tradita, ultimum perpoliendi laborem nondum adhibuisse. Quod si consideramus, non posse fieri reor ut ex ea re — ut Vollmer p. 526 vult —, quod poeta illud tempus v. 29 commemoratum ne ea aetate quidem mutavit, qua addidit v. 225—233, ullum argumentum depromamus, quo illud tempus esse fictum demonstretur. Cum autem id solum in aperto esse mihi videatur Statium, si hoc carmen eodem fere tempore, i. e. post repulsam Capitolinam, composuisset, quo illud

---

[1]) Ita iam recte Kerckhoff l. l. p. 22 iudicavit.

[2]) cf. Vollm. edit. p. 3.

fictum tempus omnino nullam iam veritatis speciem habuisset, vix illud fuisse ficturum, nullus dubito, quin v. 29 ceterique illius loci iam prioribus temporibus sint scripti.

At cur tandem nos arbitrari tempus v. 29 illud omnino fictum necesse est? Vollmer vero ipse (p. 526) profitetur haec: Die Möglichkeit, dass das Gedicht wirklich 3 Monate nach des Vaters Tode begonnen worden ist, lässt sich nicht durch Beweise widerlegen. Deinde num recte l. l. adnotat haec?: Bedenkt man, dass II, 1, 2; V, 1, 16; V, 5, 24 wenn auch genaue, so doch unkontrolierbare Angaben gemacht werden, so verliert die einzelne sehr an Glaubwürdigkeit. Minime gentium! — Mihi quidem persuasum est illud tempus v. 29, quod ut illa cetera, non prorsus accurate dictum nos existimare per se patet, Statium ea aetate commemorasse, qua carmen componere coepit i. e. paucis mensibus post patris mortem. [1]) Etiamsi enim sententiam Vollmeri probo, qui p. 526 merito iudicat non esse utendum locis II, 1, 33 et III, 3, 39 pro argumentis, quibus hoc carmen iam temporibus illarum eclogarum fuisse perfectum demonstretur, tamen illos ad carmen nostrum esse referendos censeo. — Atque nisus illo v. 29 commemorato tempore, illis commemorationibus occasione data factis, ex quibus id haud dubie concludi posse mihi videtur Statium tum carmen iam coepisse scribere, ex ea re, quod v. 227 et 232 spectant ad tempus posterius, pro certo habeo poetam eclogam hanc mature componere [2]) coepisse, sed pedetemptim scribere perrexisse. Ut autem iam supra diximus, verisimile est ad carmen Statium ultimam admovere manum morte esse prohibitum.

---

[1]) Eo, quod v. V, 3, 29 sq., ubi (v. 37) iam agellus ille commemoratur, quem dono se accepisse nullo loco Statius dicit, prioribus temporibus esse scripti videntur, Ribbeckii sententia confirmatur, qui l. l. p. 212 iam patrem possedisse agellum Albanum opinatur. — Ceterum errant Ruediger (l. l. p. 36) et Kerckhoff (Wochenschrift für class. Phil. 1889 p. 239), qui de duobus agellis cogitant.

[2]) Quod Ribbeck l. l. contendit V, 3 esse Albae factum, maxime cadit in eam partem, quae v. 36 sq. continet.

Vita.

Natus sum Bernh. Walter Härtel Dresdae a. 1876 die XV. mensis Dec. patre Friderico Bernh., quem praematura morte mihi a. 1887 esse abreptum valde doleo, matre Bertha e gente Birnstengel, quam salvam mihi esse laetor gaudeoque. Fidei addictus sum evangelicae.

Litterarum rudimentis imbutus sum regio gymnasio Dresdensi, quod floret rectore Wohlrabio. Novennio solemni absoluto vere a. h. s. 96 maturitatis testimonium adeptus Lipsiam me contuli. Ibi in numerum civium academiae referendum me curavi et philologicis studiis operam navavi.

Docuerunt me viri illustrissimi: de Bahder, Brugmann, Cichorius, Heinze, Immisch, Lamprecht, Lipsius, Marcks, Martini, Pückert (†), Ribbeck (†), Richter, Schneider, Schreiber, Sievers, Wachsmuth, Weigand, Wundt.

Cum duo per semestria proseminarii philologici exercitationibus Immischio duce interfuissem atque per sex menses senioris, ut aiunt, munere functus essem, in egregiam seminarii palaestram receptus sum, quam Lipsius, Ribbeck, Wachsmuth regebant, et per tria semestria officia sodalis ordinarii praestiti. Ad societatem philologicam benigne me admisit Ribbeck per quattuor semestria.

Wachsmuthii auspiciis seminario historico nunc tertium semestre adnumeror et societatis historicae Cichorii nunc sextum semestre sum socius. Praeterea comiter aditum mihi patefecit Schneider ad societatem archaeologicam per bis sex menses. In paedagogicum seminarium me recepit Richter proximo semestri. Denique per semestre spatium seminario francogallico moderante Weigandio eram adscriptus.

Omnibus, qui me docuerunt, et gymnasii et universitatis praeceptoribus gratiam habeo maximam, imprimis autem cum Cichorio, Immischio, Lipsio, tum Wachsmuthio iustas ac debitas ago gratias semperque agam, qui mira adversus me benignitate studia mea adiuvit.

Ribbeckii vero memoriam, cuius famulus eram et qui studiorum meorum fautor egregius nec non mihi patre orbato exstiterat quasi alter pater, semper grato animo ac pia reverentia fovebo atque colam. —

Denique nunquam obliviscar philologorum sodalicii academici, cuius per quattuor annos sodalis caros mihi conciliavi amicos.



Ls 39.233
Studia Statiana.
Widener Library
001935749
3 2044 085 232 262